00025648

NOT TO BE ISSUED
OUT OF THE LIBRARY.

BOMBAY BRANCH
OF THE
ROYAL ASIATIC SOCIETY
TOWN HALL, BOMBAY.

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016

Biography famous Italian

VITAE ITALORUM

DOCTRINA EXCELLENTIUM

QUI SAECULIS XVII. ET XVIII. FLORUERUNT.

VOLUMEN VI.

AUCTORE

25648

ANGELO FABRONIO

ACADEMIAE PISANAE CURATORE

MUSEO FISICO E STOR: NAT: DI FIRENZE

XX-g-3

PISIS MDCCLXXX.

EXCUDEBAT JACOBUS GRATIOLIUS

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

00025648

MARIAE BEATRICI

ATESTINAE

FERDINANDI ARCHIDUCIS AUSTRIAE

UXORI MERITISSIMAE

SAECULI ET SEXUS

O R N A M E N T O

A N G E L U S F A B R O N I U S

D. D. D.

ANGELUS FABRONIUS

PAULLO M. PACIAUDIO S. P. D.

SAepe quidem te audivi, doctiſſime Paciaudi, mira prorſus de Noriſio ejuſque ſcriptis praedicantem, affirmantemque argumentum de Epochis Syromacedonum adeo anceps, adeo reconditum, adeo novum extitiſſe, ut ſine quadam incredibili vi ingenii & eruditionis, & facultate quadam divinandi, quae quidem omnia in te ſemper eximia & praeſtantia fuerunt, non potuiſſe tractari. Ego vero in ſummis antiquitatis inveſtigatoribus hoc maxime admirari ſoleo, quod nihil dicant, niſi illud ſit graviſſimis certiſſimiſque monumentis teſtatum; quod nihil tam averſentur, quam conjecturas, quae in varias partes duci poſſunt, nonnunquam etiam in contrarias; quodque ita demum dicant, ut nihil abeſſe ac ſupereſſe, nihilque iis neque a natura denegatum, neque a doctrina non delatum eſſe videatur. Neque ſane eorum facultas exiguis terminis ſepta tenetur. Niſi enim quis totum ſe in cognitione & ſcientia linguarum, morum, legum,

rerum geſtarum, regionum, ſcriptorum, ceterorumque monumentorum, quae ad nos ab antiquitate pervenerunt, collocaverit, fruſtra laborem impendet, nulloque in numero habendus erit. Atque haec quidem ſunt adjumenta doctrinae, quae induſtria quadam ac patientia parari poſſunt fortaſſe a multis: quid illa, quae in quodam naturae bono ſita ſunt, firma tot rerum tamque variarum recordatio, ingenii facultas ad res longiſſime diſſitas componendas velox, ad novas easdemque obſcuriſſimas indagandas ſagax, ad dubias recte vereque judicandas gravis quodammodo ac ſevera? Sed tamen huic tanto muneri aut nullum genus hominum par eſſe poteſt, aut ii certe, qui religioſo quodam foedere, ſocietateque inter ſe conjunguntur. Habent enim bibliothecas, ceteraque ſubſidia induſtriae atque inſtrumenta doctrinae; & in communibus fortunis facile ea reperire poſſunt, quae maxime tum ſuis glorioſis conſiliis, tum familiae, ac totius Reipublicae rationibus conducere videntur. Adde quod more inſtitutoque Majorum in rebus quaerendis explicandiſque plerique religioſorum hominum aetatem conterere coguntur; & in magno numero adoleſcentium ex cunctis pene nationibus delectorum

multi ad omnes pene facultates nati aptique eſſe debent. Nihilo tamen minus, quod mireris, raro evenire ſolet, ut quis eorum, ſi paucas excipias familias, excellat in his ſtudiis, ceteriſque humanitatis; & ea ipſa, quae diligentius ſe excolere gloriantur, ut ſunt quae ad philoſophiam & theologiam pertinent, ita jejune, ita exiliter, ita barbare tractant, ut juventus in impudentiae ludo pene diſcendo dediſcere videatur. Id eſt, de quo queri ſaepe ſoleo, eruditiſſime Paciaudi: & ſi fuit unquam tempus, quo perverſa inſtitutio ſtultitiae peccatum exiſtimari debuit, id noſtra profecto accidit aetate, qua ad veritatem omnia revocare didicimus, & qua ſingulis diſciplinis atque artibus certus eſt terminus conſtitutus, & ſuppeditata regula, qua vera & falſa, utilia atque inania dijudicentur. Ea propter extitere ſapientiſſimi Principes, qui indigne ferentes ingenia adoleſcentium obtundi, ac corroborari per malos magiſtros impudentiam, hos edicto coercuerunt, ne longius ſerperet malum, docendi poteſtatem iis denegantes, qui doctrinae teſtimonium ab inſigni aliqua Academia, in qua per plures annos verſati fuerint, minime habuerunt. Non ſatis moneri poſſunt rerum publicarum rectores, ut noſcant, qui domi-

nentur in ſcholis, quam ſequantur rationem; quosque intelligunt nihil poſſe docere diſcipulos, niſi ut audeant, de uſurpata poſſeſſione dimoveant. Nulla unquam aetas conticeſcet de mirifica Cn. Domitii Aenobarbi & L. Licinii Craſſi Cenſorum prudentia, qui cum intellexiſſent eſſe magiſtros, qui praepoſtere humaniores litteras docebant, illos ſuſtulerunt edicto hiſce verbis concepto (1): Renunciatum eſt nobis eſſe homines, qui novum genus diſciplinae inſtituerunt, ad quos juventus in ludum conveniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos Rhetoras: ibi homines adoleſcentulos dies totos deſidere. Majores noſtri, quae liberos ſuos diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Haec nova, quae praeter conſuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire conſueverunt, viſum eſt faciendum, ut oſtenderemus noſtram ſententiam, nobis non placere. *Haec referre libuit ad exemplum; quod ſi multi ſequentur, erit in tuto dignitas atque gloria litterarum, neque in hac turba ſtudioſorum*

(1) Svet. de clar. Rhet.

ac praeſertim cucullatorum, erit quod amplius queramur paucos exiſtere, qui commodis utilitatique Reipublicae conſulere poſſint. Neque id mirum, ubi nullus ſcriptorum delectus adhiberi ſolet, nulla linguarum praeſertim Graecae ac Latinae peritia, nulla ſtili, nullá numeri ratio, adeo ut qui pejus dicant, melius loqui putentur, qui obſcurius, litteratius quam ceteri. Placuit commentum deſidioſis, ut ſincera linguarum caſtitate veluti religione ſe exolverent. Quid dicam de philoſophiae ſtudiis? Non judicandi, ſed diſputandi viae barbara dialectica traduntur; commentitiae futileſque ſententiae, ac inaniſſimae quaeſtiones metaphyſicam contaminant; ſi quis vero rapi ſe ſentiat ad naturam inveſtigandam, ſubſidiumque mathematicarum diſciplinarum ſibi comparandum, tanquam ab aliquo libidinis ſcopulo ab hujuſmodi philoſophia avocatur, quaſi religione aſtrictus teneatur, ne praeter paucorum errores, ac deliramenta quicquam inquirat ac dicat. Quis in theologiae ſtudio utitur illo eruditionis ac doctrinae inſtrumento, ſine quo rerum divinarum cognitio manca quodammodo atque imperfecta eſt? Unde ad hanc viam tenendam copia depromi major graviſſimorum exemplorum potuit, quam ex Mu-

rinis, ut appellant, Monachis, qui ſimul atque ſe ipſos commoverunt, ſeque ad optimam inſtitutionem revocarunt, fructus uberes, aeternoſque laborum ſuorum edere potuerunt. Tantum abeſt, ut ſint qui hujuſmodi exempla hodie imitentur, ut quod non ſine indignatione audias per religioſarum familiarum rectores quoſdam promulgatae ſint leges, quibus theologiae ſtudioſi jubentur unum S. Thomam in manibus habere, hunc unum intueri, & ad eum tanquam ad ſaxum adhaereſcere. Atque ego non argumentabor quam ſit ſtultum in omni diſciplina unum aut paucos, quamvis ſapientiſſimos, ſequi auctores atque magiſtros; ridebo potius varias ac diſcrepantes hominum ſententias, quod eodem tempore, quo Thomas Aquinas, tanquam Deus aliquis, ſcholarum Dominicanorum rector ſummus & dominus conſtituitur, idem pene ab Auguſtinianis contemnatur, cum horum Praepoſitus Generalis, interpoſito decreto, illius non dicam interpretandi, ſed pene nominandi magiſtris poteſtatem eripuerit. Haec abhorrent quidem non modo ab hujus ſaeculi prudentia, ſed etiam a majorum conſuetudine atque conceſſis; & quoniam nihil eſt quod tam curare debeant rerum publicarum

moderatores, quam ut optime educetur atque inſtituatur juventus, hos cohortandos puto, ut excubent animo, imperitorum furores ſapientiſſimis legibus cohibeant, rationemque ipſi praeſcribant; qua in ſubjectis ſibi regionibus adoleſcentium animi litteris atque doctrinis excolantur. Sciant ſatius fore nullam eſſe inſtitutionem, quam perverſam atque praepoſteram. Agedum conferamus cum horum ſtudiis ſtudia occupationeſque Noriſii, doleamuſque vicem hominis, quem probris omnibus maledictiſque multi ſuorum vexarunt, quod tritas vias relinquens ad Panvinii civis & collegae ſui, aliorumque ſummorum virorum laudes aſpiraverit. Vale, atque exiſtima neminem me tibi eſſe amiciorem; idque me non modo ut tu ſentias, ſed ut omnes gentes, etiam ut poſteritas omnis intelligat eſſe facturum.

Piſis Kal. Jan. MDCCLXXX.

HENRICUS NORISIUS.

QUanquam de Henrico Noriſio Cardinali multa multi ſcripſere, exiſtimavi tamen excellentis viri praeſtantiſſimae gloriae a me quoque munus hiſtoriae deberi, hoc proprium eſſe inſtituti mei, hoc ſatis eſſe cauſſae, ut quod multos ſummos homines feciſſe conſtat, id & mihi licuiſſe facile omnes concederent. Natus ille Veronae IV. Kal. Sept. an. MDCXXXI. patre Alexandro viro prudenti ac ſatis erudito, ut indicat ejus de bellis Germanorum hiſtoria, matre Catharina Manzana caſtiſſima femina, non ſolum aſſiduis parentum vocibus & civium illuſtrium exemplis, ſed ipſa etiam duce natura, quae maxime valet, ſtudia virtutemque vel a pueritia amavit & coluit. Ductus ad Jeſuitas provocare ardentiores induſtrioreſque condiſcipulos, multa ſigna impetus ingeniique dare, ut magis freno, quam calcaribus egere videretur. Ferre impatien-

tius cum coepiſſet ſcholaſticas tricas, quae non, tam praeceptoribus, quam temporibus aſſignandae, tanquam ſolatio, miriſice delectabatur S. Auguſtini lectione; tantoque ejus amore exarſit, ut illi longius quidquam minime fuerit, quam Auguſtinianorum familiae nomen dare. Praeſtitit id Arimini, ex qua urbe, vix exacto tirocinio, diſceſſit Romam evocatus a Fulgentio Petrello, qui univerſae familiae praeerat. Nam cum a multis audiiſſet, & ipſe quoque per ſe noviſſet, poſſe Noriſium, quam ſe cumque in partem dediſſet, perfectum evadere, exercendam illius induſtriam eo in loco putavit, in quo eſſet ſacrorum ſtudiorum domicilium. Coactus ipſe audire Scholaſticos, & in eorum putidis ineptiſque diſputationibus quotidie verſari, quibus omnem ingenii admirationem, omnem laudem theologiae ii contineri exiſtimabant, animi quodam judicio coepit ab iiſdem abhorrere, & hanc diſputandi exercitationem tacite exagitare atque contemnere. Itaque majora ſpectans, quae ſubtilior cognitio, ac ratio litterarum alere debebat, quaeſivit a Chriſtiano Lupo, qui per illos

dies Romam advenerat, qua ratione poſſet eo, quo intendebat, pervenire. Cum audiiſſet ab ipſo nomen theologi iis ſolum tribuendum, qui diu & multum in SS. Eccleſiae Patrum, Conciliorumque lectione ſint verſati, qui omnem pene noverint antiquitatem, & multarum ſint linguarum peritia exculti, adoleſcens induſtria ſumma, & ingenio uberrimo affluens haec curanda ſibi eſſe, ac quaerenda, & inveſtiganda duxit. Gratus vero in Lupum, a quo plurimum ſe adjutum fuiſſe ad rectam ſtudiorum rationem ineundam palam profitebatur, tanquam parenti omnia ſemper tribuit officia. Adfuit ei etiam demonſtrator, & tanquam myſtagogus, cum admiranda urbis quondam terrarum dominae inviſeret, tantaque cura incumbebat in omnes res illius (1), ut niſi Majores hujus conjunctionis dulcedinem minuiſſent, juſſo Noriſio theologiam Piſauri docere, retinere Romae Lupum, quod vehementer ab ipſo Pontifice propter ſummam hominis doctrinam exoptabatur, facile potuiſſent. Hic vero memoriam extare voluit ſui ſingularis amoris in Noriſium, cum ei ab adoleſcentia nondum egreſ-

ſo epiſtolam inſcripſiſſet (2) de *Chriſtiana contritione*, qua diſſertationem hac ipſa de re antea vulgatam ab invidorum calumniis liberavit. Dum autem Noriſius omni contentione animi in inquirendis antiquitatis, praeſertim chriſtianae, monumentis elaborabat, minus de theologia ſcholaſtica ſollicitus, ajebant Majores illius leviſſimam delectationem graviſſimae utilitati ipſum anteponere, & dolendam vicem eorum, qui non intelligerent theologiam non ſolum augeri, ſed pene ali Scholaſticorum diſputationibus. Sed quoniam Noriſius oppreſſus jam erat opinionibus non modo vulgi, ſed etiam hominum leviter doctorum, qui eruditionem a theologia, tanquam ab animo corpus, ſejungebant, inane illud, & iis temporibus conſentaneum genus theologiae pluribus in locis docere debuit. Docuit quoque Romae Peripateticam philoſophiam, quod munus ea conditione accepit, ut ſibi liceret fateri neſcire quod neſciret, neque imitari morem illorum, qui e ſcholis aut cantilenam, aut acres, litigioſas atque pertinaces diſputationes requirunt. Neque minus invite aliis muneribus praepoſitus fuit Nori-

mus, & conciones, quanquam minus aptus ad eloquentiam videretur, ſaepe habere debuit ad populum, & ad comitia familiae ſingulo quoque anno venire (3). Quid tam perverſum praepoſterumque excogitari poteſt, quam abſtrahere homines ingenio abundantes a litteris ſuis, abripere ab itinere, quod natura illis aſſignaſſe videtur, & ipſos vel invitiſſimos cogere in quodam ſtudiorum genere omni barbarie inquinato verſari? Niſi hoc malum importatum fuiſſet per religioſas familias, ſane litteratorum reſpublica in faſtis ſuis, quibus maxime gloriatur, multorum nomina immortalitati conſecraſſet, quae nunc quaſi perpetua oblivione obruuntur. Quidquid igitur elaborabat Noriſius, ut e fontibus, minime vero e rivis divinarum rerum notitiam hauriret, ſtudioſe occultabat (4); & ſi quos adoleſcentes inveniſſet, quibus gloria & dignitas ſcientiae cara eſſet, hos ſecreto hortabatur, ut animo rei magnitudinem complecterentur; ne ſe in diſputantium ſcholas, tanquam in aliquod piſtrinum, detrudi & compingi ſinerent; neque iis aut praeceptis, aut magiſtris, aut exercitationibus

quibus omnes fere tum utebantur, ſed aliis quibuſdam ſe id, quod expetebant, conſequi poſſe confiderent. Ut vero illos moleſtos & odioſos clamatores exemplo convinceret, magno apparatu opus eſſe theologo, & rebus exquiſitis undique, collectis, arceſſitis, comportatis, quotidie ex ſe gignebat aliquid, quod cum laborioſa delectatione veſtigabat; ad auctoritatem Auguſtinianorum dogmatum vindicandam, narrandamque hiſtoriam bellorum, quae ſapientiſſimus Doctor cum pervicaciſſimis haereticis gerere coactus eſt. Ex his exercitationibus effloruit opus *de Hiſtoria Pelagiana*, cui paullo poſt acceſſere *Diſſertatio hiſtorica de Synodo V. Oecumenica*, & *Vindiciae Auguſtinianae*, quae omnia anno MDCLXXIII. Patavii, ubi magiſtri munus apud ſuos exercebat, Noriſius in lucem emiſit. Sed priusquam id praeſtare poſſet, Romam petere coactus eſt, quo refelleret & coargueret Jeſuitarum mendacium, qui univerſi ajebant illis prioribus operibus quaſi veritatis lumen extingui; & certiora de divina Gratia dogmata funditus everti. His ſparſis rumoribus, male acceptus fuit Noriſius a quibuſdam Car-

dinalibus, quibus cura commiſſa erat inquirendi in violatores Fidei, & vel ab ipſo Hieronymo Caſanata, viro docto & ſapiente, qui in illorum Cardinalium Decuria *Aſſeſſoris* ut vocant, munus ſuſtinebat; ſed in cauſſa facili & explicata contigit Noriſio eos ipſos, apud quos accuſabatur, non modo propugnatores ſui, ſed etiam ornatores habere. Nam a Cardinali Barberinio attributa pecunia ad imprimendum opus, & quod triumphi inſtar fuit, ipſe Cenſor factus eſt librorum, (*Qualificatorem* nominant) qui ad Decuriam ipſam deferuntur. Itaque juſſus eſt, explicatis rebus ſuis Patavii, ad Urbem remeare. Erant nonnulli (& hi quidem aut Noriſii ſcripta minime legerant, aut de iis judicare non poterant) qui affirmabant actum eumdem egiſſe, cum poſt Baronium, Rivium, Voſſium, Latium, Uſſerium alioſque de rebus Pelagianorum ſcribendum ſuſcepiſſet. Baronio quidem, Uſſerio, & Rivio id unice curae fuiſſe videtur, ut hiſtorici partes agerent, eaque propter Pelagianorum ortum, progreſſum, atque exitum accurate quidem expoſuere, ſed in eorum dogmatibus, oppo-

ſitiſque Patrum ſententiis referendis, examinandiſque parciſſimi fuerunt. Praeſtitit id Joannes Voſſius, quo exortas apud ſuos Batavos de divina Gratia ac libero arbitrio controverſias componeret, cujus veſtigia poſtea ſecutus eſt Latius. Nihilo tamen minus haud ſe dubitare ajebat Noriſius, quin multa adhuc eſſent, quae ſummos illos viros praeterierint, quod quidem re probavit, cum in contexendo, de quo diximus, opere, multa nova protulerit. Non omnia tamen protulit. Nam eo, quo ſcripſit, tempore neque Jo. Garnerius, neque Stephanus Baluzius integra Marii Mercatoris opera, neque Chriſtianus Lupus *ſynodicon adverſus tragoediam Irenaei* in vulgus emiſerant, neque extabant Vigilii Papae *Conſtitutum*, & S. Columbani *epiſtolae*, & aureus libellus *de mortibus Perſecutorum*, qui Lactantio Firmiano tribui ſolet; & alia hujus generis plura antiquitatis monumenta, a quibus Pelagianorum hiſtoria mirifice illuſtratur: quare minime eſt mirandum ſi alii eamdem rem poſtea & eruditius & copioſius pertractarunt. Porro in iis, de quibus lectores ſuos docet Noriſius, vix de-

ſideres perfectius dici; & quod res erant magnae, implicatae, variae atque graves, de quibus homines docti minime inter ſe conveniebant, diſtincte, explicate, & abundanter eas illuſtravit aperuitque. Habet nonnulla, quae ſumpſiſſe a Garnerio videri potuiſſet, ſi *Hiſtoria Pelagiana* ſerius *Diſſertationibus in Marium Mercatorem* emiſſa in vulgus fuiſſet. Quoniam vero caput illius hiſtoriae eſſe putavit Noriſius, ut oſtendere Origenem Pelagianorum principem fuiſſe, & Theodorum quoque Epiſcopum Mopſueſtiae eorum ſententiis addictum & conſecratum fuiſſe, ſeparatim diſſerendum ſuſcepit *de V. Synodo Oecumenica*, a qua eorum errores judicati ac damnati fuere. Qua quidem in re ſe operae pretium facturum judicavit, & quod ejuſdem Synodi hiſtoria confuſius ab aliis expoſita eſſet, & quod Petrus Halloixius Leodienſis magno apparatu illius auctoritatem, nimis in Origenem & Theodorum, aliosque Pelagianos & Semipelagianos, ac turpem illorum cauſſam propenſus convellere ſtuduerat. Quoniam vero mos erat Noriſio tempora omnium rerum, ac perſonarum

de quibus diſſerendum ſuſceperat, diſtinguere; placuit ei multorum errores corrigere de imperio Juſtiniani, Juſtini II. Tiberii & Mauricii; de annis Totilae, & de univerſo Gothico bello; illudque inter cetera oſtendere, quod omnes antiquitatum inveſtigatores fugerat; Procopium res, quae duobus annis acciderant, in unum compegiſſe. Quanquam hi libri, in quibus Auguſtini ſententiarum de divina Gratia explicatio & defenſio poſita eſt, omnem fere hujus generis doctrinam continere videantur; ſingularis tamen Noriſii in Parentem amor & cultus, & magnitudo doloris, qua audiebat ab impuriſsimis hominibus inexpiabili ſcelere, impune tamen, ſanctiſſimi Doctoris ſententias ac libros perſtringi, facile ab eo obtinuerunt; ut ſeparatim ejus defenſionem arriperet. Quod ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas defenſori defuit; qui in Magiſtri cauſſa peroranda viſus eſt a mortuis excitaſſe ſanctiſſimos Pontifices, Bonifacium praeſertim & Caeleſtinum, & illa lumina Auguſtinianae ſcholae Proſperum, Fulgentium, Caeſarium, Prudentium, Remigium; aliosque bene multos non tam doctrina quam ſanctitate praeſtantiſ-

ſſimos viros, & ab iis exigere, ut quemadmodum olim adverſus furioſorum impetus ſartam & tectam eſſe voluerunt ſummi Doctoris laudem auctoritatemque, ſic eamdem a recentium theologorum calumniis, tanta eſt impunitas garriendi novitatiſque diſſeminandae amor, propugnarent! Nihil eſt objectum, quod *Auguſtinianae Vindiciae* (ſic enim liber inſcribitur) ſcienter & perite non diluant, & contorta & aculeata adverſariorum ſophiſmata adeo patefaciunt, ut omnem ſuſpicionem in illos ipſos recidere intelligas. Examinantur illorum ſententiae, quae minus favere Auguſtinianis dogmatibus putabantur, & in extremo libro centum & triginta quinque recentiorum contra ſanctiſſimum Doctorem cenſurae, convicia ac dicteria referuntur, certiſſimis auctoritatibus comprobante Noriſio, ea omnia ab eodem Doctore aliiſque Sanctis Eccleſiae Patribus jamdudum fuiſſe repulſa. His vulgatis, quoniam ſe maxime peti Jeſuitae intelligebant, majora etiam alienati & offenſi animi ſigna dederunt. Sed non propterea commotus eſt Noriſius, qui ſatis ſe armis inſtructum putabat, quibus vel tectus ipſe eſſe

poſſet, vel provocare improbos, vel ſe ulciſci laceſſitum. Praeter quam quod cauſſa erat ejusmodi, in qua ſibi nec diſſimulandum, nec pertimeſcendum videbatur, ne aut metuendo ignaviſſimus, aut ignorando ſtultiſſimus judicaretur. Non defuerunt qui vel in concionibus ad populum contumelioſe laederent Noriſium, ceteroſque, qui recentes theologos inſectari & exagitare auderent, poenas ab optimo quoque depoſcentes ſui doloris, quas improbiſſimo cuique inuſſerat magiſtratuum ſeveritas. Ad imminuendam vero Noriſii famam ajebant Pelagianam hiſtoriam ab illo minime confectam fuiſſe, ſed a Franciſco Macedo ex *Minorum*, ut vocant, *Obſervantium* familia, & in Patavina Academia Ethices Doctore, quod cum perſuadere hominibus non potuiſſent, nihil non egerunt, ut Macedum ipſum in Noriſium concitarent. Pudet hujusmodi machinationes referre, nec libet ſingulas inquirere. Quod Romae videbat conſociatos accuſatorum greges, quodque minime ſperabat ſe poſſe ibi tranquille ac libere propter multas occupationes (5) ſtudiis ſuis vacare, (nam quae ibi ſcribebat, erant

fructuoſa aliis, ipſi autem laborioſa, aut periculoſa; aut certe gratuita) libentiſſime munus accepit docendae Eccleſiaſticae hiſtoriae in Academia Piſana, inſtruendique in ſacris diſciplinis Jo. Gaſtonem Cosmi III. Magni Etruriae Ducis filium, quod amore praeſertim, teſtimonio ac ſtudio Antonii Magliabechii ei obvenit. Aſſignatum ipſi ſtipendium fuit CCCLXXX. circiter centuſſium, juſſusque nihil non ſperare a beneficentiſſimorum Principum, ac praeſertim Leopoldi Cardinalis, liberalitate. Autumno an. MDCLXXIII. in Etruriam venit; & cum coepit e ſuperiori loco dicere, magna frequentia magnoque plauſu auditus eſt, quod nihil non graviter, non ſubtiliter, non erudite, denique non theologice diceret. Interdum etiam facetias & jocos adhibebat tum ad nimiam orationis gravitatem relaxandam, tum ad auditorum benevolentiam ſibi magis magiſque conciliandam. Dolebat ſcholaſticas exercitationes ſe revocaſſe ſemper ab iis ſtudiis, quae ad orationem ornandam atque illuminandam valent; & quoniam vix ullam ſententiam illuſtrem eſſe putabat ſine luce verborum, magno labore effecit, ut in hac quo-

que arte quidquam ei deeſſe minime videretur. Id enim affert ratio, docent litterae, confirmat conſuetudo & legendi & loquendi. In his exercitationibus comitem habebat Jacobum Gronovium, cui munus commiſſum erat docendi in ipſa Academia Piſana humaniores litteras, in quibus excellere putabatur. Multi quidem ſperabant hanc ſtudiorum ſimilitudinem, ſuavitatem conſuetudinis, delectationem vitae atque victus, ſermonis ſocietatem, interiores litteras aditum fore homini Batavo ad Catholicam religionem amplectendam; & Noriſius quidem nihil praetermiſit, quantum eniti potuit, quin ipſum a Calvini erroribus avocaret. Quo ſtudio providit, adverſante etiam illo interdum actionibus ſuis, ne ullum exiſtimationis detrimentum faceret, & cum ei ſatisfeciſſet, ſuam quoque in Magliabechium benevolentiam, cui magnopere cordi erant gloria & commoda Gronovii, navare poſſet. Sed ea poſtea acciderunt, ut Noriſius virtute, & officio ſuo, minime vero exitu rerum laetari debuerit. Erant malevoli (late enim patet hoc vitium, & eſt in multis) qui affirmabant teneri Gronovium a No-

rſiſio ſpecie quadam aſſimulatae amicitiae, verum ſecreto ab eodem comtemni (6) & odia in illum ſtrui. At qui haec ſuſpicari poſſumus de homine, qui nihil non modo perfidioſum, & inſidioſum, & fallax in amicitia, ſed ne humile quidem ac jejunum ferre poſſe videbatur? Quo plura in Noriſio erant virtutis & induſtriae ornamenta, eo mirandum eſt minus non defuiſſe illi malevolos, qui quidem cum indignatione videbant ipſum ſudare acriter laborantem quomodo non ſolum tueretur, ſed etiam vinceret expectationem, quam de ſe concitaverat. Quia multis gratum eſſe cognovit, & probabatur maxime ab Academiae Curatoribus, eam a ſe praeſertim illuſtrari hiſtoriae Eccleſiaſticae partem, quae cum Conſtantini Imperio conjungeretur, hoc oneris ac muneris libentiſſime ſuſcepit. Magnum enim per id ſibi ſuppeditari campum intelligebat, in quo excurrere ſua doctrina cognoſcique poſſet, praeſertim cum Arianorum atque Donatiſtarum praecipuae res geſtae ad eadem ſpectarent tempora. Non ei erat in animo Baronium exſcribere, ſed ſuis ponderibus omnia ab eo aliiſque prolata examinare, de unaqua-

que re ſubtiliter & copioſe, quemadmodum in hiſtoria Pelagiana praeſtiterat, diſputare, & ita limare veritatem, ut omnem legentibus tolleret dubitationem. Quo inſtrumento indiguiſſe hominem putamus, qui haec ſibi propoſuerat? Sed omnia abunde aderant Noriſio doctrina, eruditio, perfecta cognitio antiquitatis, critice, dona illa naturae ad divinandum, comparandum, perſpiciendumque quid in quaque re verum eſſet, quid probabile, quid non: & quod omnes ingenuas & humanas artes uno quodam ſocietatis vinculo contineri, & mirum quemdam omnium quaſi conſenſum doctrinarum concentumque eſſe intelligebat, ex diſparibus diſſimilibuſque facultatibus multa ſumpſit ſepoſuitque, quae magno adjumento ſibi in ſacris litteris illuſtrandis fuiſſe affirmavit. Atque his tot tantiſque cognitionibus inſtructus ad hiſtoriam Donatiſtarum conſcribendam animum cogitationemque adjecit. Quantis laboribus, quantiſque vigiliis ſibi ſteterit ea colligere quae ad opus contexendum, inſtruendoſque in his ipſis rebus diſcipulos ſuos pertinebant, declaravit amiciſſimo ſuo Antonio Magliabechio, & quod ejus fama per-

vulgata erat ad illud, ipſum in lucem emittendum ſaepe cohortationibus amicorum incitabatur. Nam quamvis Baronius in Annalibus, Rivius in Auguſtini vita, Balduinus atque Albaſpinaeus in obſervationibus ad Optatum, aliique multa de Donatiſtis conſcripſerunt, horum tamen nullus plane eruditorum deſiderio ſatisfeciſſe videbatur. Sed hoc nec facere licuit Noriſio, quod multa retardaverint laborem illius. Eodem mortuo, cum quae ſcripto mandaverat in manus perveniſſent fratrum Balleriniorum, eorum induſtria, diligentia ac prudentia omnino ſingulari factum eſt, ut quae diſperſa & confuſa erant, ratione atque ordine diſtribuerentur, quae vix Auctor tetigerat, apertius explanarentur, & multa, quae deerant, ſupplerentur. Sane non mediocriter facit ad laudem Noriſii, quod doctiſſimi viri ejus de Donatiſtis hiſtoriam publica luce haud indignam judicaverint, cum extarent jam quae Tillemontius, ac praeſertim Dupinius, homines cum paucis comparandi, hac ipſa de re conſcripſerant. Libuit quoque iisdem proferre in publicum, quaſi operis appendiculam quamdam, nonnullas *Praelectiones*

habitas a Noriſio in Academia Piſana, quae quamvis inconditae ſint (multa enim iis memoriter in recitando addere ſolebat) ſatis tamen declarant, quam interiores & recondìtae litterae eſſent in eo, & cognitam ipſi fuiſſe omnis fere antiquitatis memoriam. Dolendum tantum virum diſtractum ac pene divulſum fuiſſe adverſariorum petulantia, ne dicam perfidia, a perficiendo multa, quae inchoaverat, in quibus res Catholicae Eccleſiae agebatur. Illa, quibus repulit contumelioſas voces in ſe & ſcripta ſua emiſſas, quamvis è penitiſſima theologia atque eruditione plerumque hauſerit, ejusmodi tamen ſunt, ut iis facile carere poſſemus. Inſtabat acriter Franciſcus Macedus, ſeque perpetuum bellum cum Noriſio habere velle oſtendebat. Ad hujus impudentiam reprimendam edidit libellum, quem *Adventoria* inſcripſit, in quo certiſſimis argumentis probavit, ſe jure meritoque in Pelagiana hiſtoria affirmaſſe S. Vincentium Lirinenſem, & S. Hilarium Arelatenſem, priusquam Semipelagianorum haereſis damnaretur, harum partium fuiſſe; neque minus recte (quod eſt praecipuum libelli caput) contendisse

diſse adverſus Baronium in inſcriptione libri S. Auguſtini *de Gratia Chriſti* legendum *Albine*, *Piniane & Melania*, quamvis priori nomine femina notetur. Ait enim illa aetate feminarum nomina non ſemper feminina terminatione elata fuiſſe, quin immo conſueviſſe Ecclesiae Patres in eorum ſcriptis maſculinam praeferre. Sic cum feminam non virum fuiſſe oſtendiſſet Albinum, plura de ejus origine, familia, parentibuſque diſſerit; quam diſſertationem ſe feſtinanter idcirco ſcripſiſse ait, ut haec ei Romam *advenienti* ſtatim occurrere poſſet. Haec *adventoria* impulit Macedum, hominem prorupta audacia, ut majora adverſus Noriſium moliretur. Non pudebat *Minoritam* illum maledictum ex trivio, aut ex ſcurrarum aliquo convicio arripere, quod multi indigne ferentes Noriſii defenſionem ſuſcepere. At illud in primis ſcriptum celebratum fuit, cui titulus *Thraſo, aut miles Macedonicus Plautino ſale perfrictus*, quod ſemel iterumque impreſſum fuit Altdorphii Noricorum primum, cum nomen auctoris haberet Hannibalis Corradini Veronenſis, deinde Lovanii nomine Hannibalis Buttarini Veronenſis. Pleri-

que in ea fuerunt ſententia, & in his Jo. Albertus Fabricius, & Ephemeridum Italarum ſcriptores, ſub iis hominibus latere voluiſſe Noriſium, ce[illegible] ex ejus officina prodiiſſe libellum non Attico, ſed ſalſiore quodam perſperſum ſale, & ſcenica venuſtate conditum. At iſtud ille ſemper negavit, & vel ipſi Antonio Magliabechio, cum quo nihil unquam habere voluit clauſum atque reconditum. Illud etiam addere ſolebat non mediocri argumento eſſe, hunc foetum ex ſe minime extitiſſe, quod totus creverit ex Plautinis copiis & ornamentis, quorum ipſe ſemper fuerat ignarus (7). Sed hiſce rebus potius irritata quam repreſſa fuit Noriſii adverſariorum audacia. Defertur ejus Pelagiana hiſtoria ad Romanae *Inquiſitionis* tribunal, & Joannes a Guidicciolo (quis latuerit ſub hoc nomine ignoro) dignam exiſtimavit ampliſſimo ordine cenſoriam animadverſionem ſuam, qua Bajum & Noriſium plurimis in rebus mirifice inter ſe congruere, perſuadere volebat. Acute arguteque huic animadverſioni reſpondit Noriſius motus Magliabechii aliorumque exhortationibus, & mutuari auſus eſt defenſionem ſuam a Macedo, cum ex

ejus operibus eruiſſet, quod valebat ad probandum, quidnam eſſet illud, quo Bajus & Noriſius inter ſe differebant. Libellus inſcribitur: *Reſponſiones P. Franciſci Macedi adverſus propoſitiones parallelas Fr. Jo. a Guidicciolo collectae a Annibale Riccio*. Hanc vero cauſſam attulit Noriſius, quare uſus ſit Macedi auctoritate atque teſtimoniis, quod non dubitabat plurimum ea ponderis habitura apud amicum & collegam ipſius Macedi, qualem Guidicciolum eſſe ſuſpicabatur. Res interea vehementer agitabatur apud Quaeſitores Fidei, auctore maxime Card. Albitio, quem cum deditum obſtrictumque, & ad quidlibet audendum (erat enim vehementia atque petulantia prope incredibili), paratum haberent Jeſuitae, eo architecto & machinatore maxime utebantur ad traducendos judices in partes ſuas, & ad diſcordiae atque invidiae flammam ubique diſſeminandam. Obſtitere huic maxime clariſſima illa Romani Senatus lumina, Columna, Caſanata & Azolinius, neque querelarum neque contumeliarum modum ſore praedicentes, ſi quod Patres olim ſua ſententia, adnitente maxime Cardinali Bona, quo

nemo ſanctior & prudentior fuit, comprobarunt, pro adverſariorum libidine fas eſſet ad examen revocare (8). Indignantes Jeſuitae de dilato judicio in vulgus edunt *Germanitates Janſenii & Noriſii*; & quod ſuſpecta iis eſſet Romanorum judicum fides; adducunt in ſcenam Humbertum Cartuſianum Jeſum Chriſtum iis verbis alloquentem: *Surge, Domine; judica cauſſam tuam.* Quid plura? Comminiſcuntur Noriſium ſua tandem agnoviſſe errata, & ipſum edito ſcripto quodam eadem retractare, & ſubmiſſe veniam delicti petere. Praeter id liber vulgatur cum hac inſcriptione: *Cenſura del P. Enrico Noris ſopra le riſpoſte raccolte dal P. Annibale Ricci in nome del P. Macedo alle propoſizioni parallele del P. Gio. da Guidicciolo Lettore giubilato Min. Oſſerv.* qua re (argutule quidem) concludi volebat ſuimet poenituiſſe Noriſium, quod Macedi ſententias male interpretatus ad ſuam cauſſam ipſas transferre ſtuduerit. Prodiit etiam in lucem *retractatio P. Henrici Noris de calumnia Semipelagianiſmi impoſita S. Vincentio Lirinenſi*, & hujuſmodi alia (neque enim ſingula referre libet) iiſdem fucata ineptiis, & aſperſa

mendaciis. Tantam impudentiam adverſariorum cogitanti Noriſio ſaepe Cardinalis Bonae & ipſius Magni Etruriae Ducis ſententia vera & ſapiens videri ſolebat, qui ſe ſemper ab omni contentione ac dimicatione revocarunt. Sed quoniam ingreſſo jam ſtadium res in integro haud amplius erat, ſe ab iis contemni ac deſpici minime ſivit, praeſertim cum ea in re ſui exiſtimatio ingenii, rectique in theologicis diſciplinis ſenſus ageretur. Itaque libellum edidit cum hoc titulo: *Reſponſa P. Franciſci Macedi adverſus gerras Germanas Germanitates Cornelii Janſenii & Henrici Noriſii collecta ab Annibale Riccio*. Huic addita deinde eſt epiſtola quaedam ad confutandum Fulgentium Risbrochium (quis hanc perſonam induerit ignoro) qui omne contumeliarum genus in Noriſium tanquam haereſis reum jecerat, & ad oſtendendum totam ex rebus fictis & commentitiis conſtare epiſtolam poſt damnatum a Romanis Judicibus Risbrochii librum vulgatam hac inſcriptione: *Henrici Noris Eremitae Auguſtiniani ad ſuos fratres Eremitanos epiſtola gratulatoria Italice manuſcripta, & a quodam Concellita Latine traducta & pubblica-*

ta. Per idem ferme tempus de damnatione operum Noriſii Venetiis ferventer loqui eſt coeptum. Habebat ille nonnullam invidiam, quod aſſeruerit Aquilejae Patriarchatum ab illius civitatis ſchiſmate ortum duxiſſe, quam ſententiam tantum aberat eſſe ipſius Noriſii propriam, ſicuti contendebat Macedus, ut eam communem non ſolum cum Lupo, ſed etiam cum Baronio, Sirmundo & Bollando haberet. Res per ſummam fraudem & malitiam ad Judices in Jeſuitas propenſos & cum Macedo conjunctos delata primo vacillare & claudicare viſa eſt; ſed novo iis addito judice, opera praeſertim Nanii Senatoris ampliſſimi, cujus multum apud omnes valebat auctoritas, nec non Baſadonnae Cardinalis tanta accidit commutatio, ut non modo nullum detrimentum exiſtimationis feciſſe Noriſium, ſed ejus amplitudinem inimicorum injuria plurimum illuſtratam fuiſſe aequi homines judicaverint (9). Conjectus eſt etiam in carcerem Macedus, quod ſaepe, & ſine cauſſa tumultuaretur. In hac turbulentiſſima tempeſtate a Gallis quoque de honore ſuo timere debuit Noriſius. Nam Ferriero, qui erat Regi a confeſ-

ſionibus, omnem movente lapidem; non ſolum cautum ne in Galliae regno Noriſii opera ad rem theologicam pertinentia imprimerentur, ſed etiam mulcta iis typographis dicta, qui id facere inſtituerant. Surrexit etiam ad laceſſendum vir Germanus; niſi quis alius, ut putabatur, latere voluit ſub F. Brunonis Neuſſer nomine; & in tantâ librorum turba; qui ſe in omni maledictorum genere effundebant, nunquam Noriſii conſtantia, animique magnitudo debilitari potuit. Scopulum dixiſſes, a quo frangi oportebat vel magis tumeſcentes fluctus. Illi vero riſum magis quam ſtomachum movere ei ſolebant; cum tantis ipſum ſceleribus eſſe & factis notatum dicerent, ut Manichaeo, Luthereno, & Calviniſta, ceteriſque hujuſmodi peſtibus deteſtabilior eſſe videretur. Cum autem invitaretur ad prodendos horum maledictorum miſerrimos auctores, illam Plinianam ſententiam uſurpare ſolebat: *Quisquis ille, qualiſcumque, ſileatur; quem inſignire exempli nihil, non inſignire humanitatis plurimum refert* (10). Neque illa non mediocria erant ſolatia, habiti honores, decreta virtutis doctrinaeque praemia, res geſtae atque

ſcripta

ſcripta prudentiſſimorum hominum judiciis comprobata. Nulla eſt enim laus tam inſignis, neque ad diuturnitatem memoriae tam ſtabilis, quam ipse a doctiſſimis non ſolum Italorum, ſed etiam Gallorum, atque Belgarum non reportaverit. Itaque ſic illudere ſolebat adverſarios ſuos, ut oſtenderet non modo eos illius expertes eſſe prudentiae, quam ſibi aſciſcerent; ſed ne viam quidem ac rationem illius ſibi comparandae noſſe. Patiamur (ita ferme ſcribebat ad amicum) furioſos iſtos & ſordidos; qui ſe magiſtros profitentur, debacchari, & pullos ſuos excludere in nido, qui evolent; clamatores odioſi ac moleſti. Horum quidem in numero minime ponebat Garnerium; quin immo ſic eum excellere ingenio & doctrina affirmabat; ut tertium poſt Petavium & Sirmondum ei locum concederet. Illud etiam addebat ingenue, ſe hiſtoriam Pelagianam minime editurum fuiſſe; ſi antequam ederet, extitiſſent Garnerii Diſſertationes de Mario Mercatore, quod eſſent plurima in iis, de quibus, uti ſupra commemoravimus, cum illo ipſe mirifice congruebat. Quaedam etiam eodem doctore corrigenda ſibi

eſſe putavit, quorum in numero ponenda ſunt, quae ad Rufinum Aquilejenſem perti-nent. Sed cum poſtea animadvertiſſet plura quoque fugiſſe Garnerium, in quibusdam ipſum peccaſſe, atque diligentioribus alio-rum perveſtigationibus laudem non medio-crem reliquiſſe, (11) fortaſſe laboris ſui il-lum minime poenituit. Quamobrem nemo mirabitur ſi Magliabechii hortatu (nam ne-que auctoritate quemquam apud ſe plus il-lo valere poſſe dicebat, neque voluntate) *Cenſuram* edidit *in notas Jo. Garnerii ad inſcri-ptiones Epiſtolarum* XC. *&* XCII. *inter Auguſtinia-nas*. Hae epiſtolae miſſae fuerant ad S. Inno-centium Pontif. Max. cauſſa Synodorum Car-thaginienſis & Milevitanae, quae habitae ſunt an. CCCCXVI. ad damnandam Pelagia-norum haereſim. Prae ſe ferunt illae quidem nomina Epiſcoporum, qui iiſdem Synodis in-terfuere, ſed quae eorum ſedes fuerint id in media antiquitate retruſum atque abditum eruditiſſimi viri ſemper judicaverant. Quod igitur alii minime quaeſierant; hoc a ſe no-vum prolatum eſſe gloriabatur Garnerius, conſultis veteribus monumentis, ac praeſertim

Codice canonum Eccleſiae Africanae, *Parte prima collationis Carthaginenſis* , & *Notitia Provinciarum Africae edita a Sirmondo*. Coercendum hominem putavit Noriſius ſe ſe inſolentius jactantem, quaſi in ſuo regno verſaretur: Scripta igitur ad Magliabechium epiſtola omni reconditiori eruditione ornata atque referta, probavit Garnerium ſaepe peccaſſe in diſcernendis Africae civitatibus , multas ignoraſſe, quaſdam, ut ita dicam, excitaſſe, plurium Dioeceſium jura ac limites confuſe & permixte deſcripſiſſe, neque in locorum ſolum ; ſed & perſonarum ac temporum deſignatione hominem ceteroquin multis aliis rebus admirandum turpiter erraſſe. Ut in hoc certamen deſcenderet (quanquam falſo audierat Garnerium minime perpugnacem eſſe in diſputando , ſed perfacilem in audiendo) fecit non invidia, ſed veritatis atque Italiae amor. Liquebat enim, a Gallis praeſertim ſic judicari de Italis, quaſi in hoc ſtudiorum genere hoſpites eſſent atque peregrini. Plurimum elata eſt haec epiſtola a doctiſſimis viris; impreſſa quoque iterum fuit a Joanne Phereponо , ſeu Clerico, & relata demum

in Appendicem operum S. Auguſtini, quae lucem adſpexit Antuerpiae an. MDCCIII. Biennio poſtquam haec Noriſius ſcripſerat, Garnerius cum in lucem proferret *Liberati Breviarium*, huic Diſſertationem adjecit, qua praecipua capita Diſſertationis Noriſianae de Synodo V. refellenda ſuſcepit. Id autem praeſtitit tanto eruditionis apparatu, tantaque argumentorum copia, ut eruditi fere omnes, qui libenter iverant in Noriſii ſententiam, hanc deſeruerint. Sed mira erat ars Garnerii in traducendis hominibus ad ſuas partes, & in eo, quod intendebat, confirmando, & quod contra diceretur refellendo. Ipſa rerum varietas & copia, digreſſio a propoſito non tam cauſſa delectandi, quam conficiendi aliquid confirmationis, aut reprehenſionis, reditus ad rem aptus & concinnus, diſtributio, praemunitio ad id, quod aggreditur, anteoccupatio, ille magnificus eruditionis apparatus, ut vel illa, quae patent, in promtuque ſunt omnibus, ejus interpretatione atque explicatione eguiſſe videantur, plurimum non ſolum apud mediocriter eruditos, ſed etiam apud homines doctrinà abundanti valebant. Cum

probandum ſuſcepiſſet adverſus Noriſium minime Origenis cauſſam cognitam judicatamque fuiſſe a Synodo V., novam ipſe confingit Synodum, quam a Menna Conſtantinopolitano Epiſcopo habitam, ab eaque an. DXXXXI. rem illam totam confectam fuiſſe ait. Id autem ſimile adeo vero videtur, ut Dapinius & Caveus (qui quantique viri!) hujus Concilii acta deſcripſerint, eademque in Conciliorum corpus, quod Venetiis poſtremo editum eſt, relata fuerint. Conſtat quidem Juſtinianum Imperatorem edicto ſuo damnaſſe Origenem, atque illud ad Mennam miſiſſe, & ea de cauſsa habitum Conſtantinopoli conventum quemdam; ſed adeo abeſt ut ſint propria hujus conventus, quae Evagrius V. Synodo tribuit in eo, quod pertinet ad Origenis atque Origeniſtarum cauſsam, ut ſolus Garnerius fucum, quemadmodum ajunt, facere hominibus potuerit. Nos libenter ſequimur Ballerinios fratres, qui in co[illegible]ia *defenſione Diſſertationis Noriſianae*, nec ſuum civem unquam deſeruerunt, nec quidquam illius adverſarii audaciae (ſi pauca quaedam, neque ea maximi momenti (12) excipias) conceſſere. Ne-

que minus aperte docuerunt cur Garnerio a controverſia de Africanis Epiſcopis, de qua ſupra commemoravimus, deſiſtere neceſse eſset, qui in ipſis ſuis reſponſionibus ad Noriſii. *Cenſuram* ſatis oſtendit ſe non injuria ab eodem fuiſse reprehenſum. Quo magis vero & feriret & refelleret adverſarium, patrocinium Halloixii ſuſcepit, cum quo Noriſium de auctoritate Concilii V. Oecumenici diſputaſse narravimus (13). Quamvis Garnerius neque patienter, neque moderate ſe geſserit, & ſuperbius, quod indignum eſt ſapientis gravitate, appellare ſoleret Noriſium, his tamen viris non mediocris gratia habenda eſt, quod inter ſe, editis ſcriptis, digladiati ſint. Nam veritas ipſa limatur in diſputatione, & perſuadendi neceſſitas, & victoriae amor exacuit ingenii aciem ad rationes agitandas exquirendaſque. Itaque vir ſummus Theodoricus Ruinartius, cum totus eſset in exponenda Africae geographia, maximum ſe percepiſse fructum affirmavit ex diſputationibus Garnerii & Noriſii, qui ad vexandum adverſarium *multa non minus erudito, quam ſubtili calamo de Africanis urbibus abſtruſa prius, & multis am-*

ſtagibus involuta explicuit & detexit (14). Gaudebat vero Noriſius a tanto viro probari argumenta ſua, & ſi qua de re diſcrepantes ipſi fuerunt, id hanc plerumque habebat cauſſam, quod *Africana notitia*, & *collatio Carthaginenſis*, ex quibus ſacra Africae geographia maxime pendet, poſt editam a Noriſio *Cenſuram*, novoſque inventos codices, emendatiores recuſae fuerunt. Cave vero putes ſtudium vincendi in Noriſio cum pertinacia fuiſſe conjunctum. Refelli enim ſine iracundia paratus erat, ac veritatis vi coactus facile errorem ſuum fatebatur, illa Chremetis Terentiani uſurpans: *homo ſum, humani nihil a me alienum puto*. Video me multa breviter percurriſſe, & multo plura praeteriiſſe, ex quibus judicari poſſet quantam ſcientiam & ſtudium contulerit Noriſius ad Eccleſiaſticam hiſtoriam illuſtrandam. Sed ea ſi paullo latius dicere, & omnia explicare vellem, non hiſtoriam ſcribere viderer, & ii, qui haec tradere ſolent, rerum ſacrarum interpretes ac magiſtri, aut me ex jure manu conſertum vocarent, quod in alienas poſſeſſiones temere irruiſſem, aut ſaltem loquacitatem meam

vultu ipſo aſpectuque conterrerent. Cum tot controverſiarum fluctus ſedati eſſe viderentur, ſeu quod importunitatem ex invidentium mentibus evelliſſet vis doctrinae Noriſii, ſeu quod exercitatione & conſuetudine patiendi idem fortior factus eos contemnere didiciſſet, quod ad eorum furorem reſtinguendum maxime valebat, potuit liberius ac tranquillius ſtudiis ſuis vacare. Multis in rebus admirari debemus Noriſii prudentiam; ſed in inveſtigatione omnis antiquitatis ita felix fuit, ut perpaucos invenias, quos cum illo comparaveris. Jam ab adoleſcentia Panvinii civis, & collegae ſui gloriam aemulari ſibi propoſuerat, & multa praeſertim chronologica acute collegerat ea mente, ut corrector aliquando, & emendator eſſet Baronii; quam cogitationem poſtea abjecit, quod ejus induſtria plura in ſtudia occupationeſque fuerit diſtracta. Sed veterrima quaeque ad ſe ſe illum trahebant, & quod arctiſſimam eſſe colligationem & ſocietatem cum ſacrae tum profanae, ut appellant, antiquitatis eſse intelligebat, utriuſque inquirendae artem ſibi aſsumpſit. Porro quot in errores, ut rem claris comprobemus exem-

plii, ad geographiam ſpectantes induxit numiſmatum ignoratio Labbeum, ceteroſque veterum Conciliorum collectores editoreſque? & qui in his non ſatis verſati fuere, ut Salmaſius (15), Harduinius, aliique, quam ſaepe peccarunt in notatione urbium! adeo verum eſt utramque antiquitatem conjurare amice, & alteram alterius poſcere opem atque auxilium. Quanquam Noriſius ex monumentis Roma notum multa ſaepe depromſerit ad ornanda atque illuſtranda ſcripta ſua, in iis tamen explicandis tum coepit ſeparatim elaborare, quando a Leopoldo Mediceo Cardinali juſſus eſt unam alteramque Diſſertationem conſcribere *de Numiſmate Imp. Diocletiani, & Maximiani, & de Numma Liciniani Licinii Auguſti*. Illa priori Diſſertatione rariſſimi numiſmatis ſubſidio non deſperavit per ſe tandem fieri poſſe, ut Conſulares Faſti ea in parte, quae ad Diocletiani imperii annos pertinet, emendarentur, quod adeo difficile viſum eſt Scaligero & Petavio, ceteriſque, qui in hujuſmodi ſtudiis aetates contriverant, ut rem ſaepius tentatam in medio reliquerint (16). Hoc dum praeſtitit Noriſius, tanta eruditionis dote locupletavit Diſſertatio-

nem ſuam, ut & alia numiſmata quibus op-portuniſſime uſus eſt ad ſuam comprobandam ſententiam, & marmoreas inſcriptiones illuſtrare, & plures titulos legum Codicis Juſtinianei emendare, & Capitolini textum ſuae lectioni reſtituere, & alia hujuſmodi multa optimo in lumine collocare potuerit. Altera Diſſertatio eo in argumento verſatur, ut probet Licinium Auguſtum Nicomediae, cum ibi domicilium ſuum collocaſſet, decennalia Imperii celebraſſe, & Nicomedienſes ad ſibi magis magisque Auguſti gratiam conciliandam, nummos procudiſſe, in quibus Licinii vota decennalia ſoluta, ſimulque vicennalia nuncupata obſignarunt, hoc inſcripto titulo OBLATIONIS DEVOTAE *Licinii pueri Aug. F.* Ad haec demonſtranda neceſſe fuit Liciniani tum in Europa tum in Aſia imperii chronologiam ex multis aliis antiquitatis monumentis certo colligere; neque credibile eſt quot quantaque minime a propoſito aliena perſpicaciſſime indagare, invenire, & ex tenebris eruere potuerit (17). Quam accepta haec fuerint Leopoldo Cardinali, qui quidquid habebat ad antiquitatem pertinens, apertiſſimum promptiſſi-

mumque ſemper eſſe voluit Noriſio, ex ſingulari illius in litteras ſtudio facile quiſque conjiciet. Non aeque probabat Coſmus Magnus Dux, qui optaſſet ut Noriſius omnem operam ſuam poneret in ſacrarum litterarum ſtudiis, quarum interpretandarum munus ei aſſignaverat (18). Quaerenti Noriſio de decennalibus Licinii Auguſti mota eſt quaeſtio a Ferrante Capponio Piſanae Academiae Curatore, num illa ſolemnis precatio anno imperii decimo ineunte, vel potius exeunte aut abſoluto perageretur. Hanc alteram ſententiam dum certiſſimis argumentis comprobat (unum tamen Licinium Auguſtum excipit, cui primum libuit decennalia ineunte decimo imperii anno celebrare) ſic peragrat per omnes aetates, ut quidquid eſſet indicii monumentorumque ad non ſatis explicatam hiſtoriam hujuſmodi votorum ab eorum origine ad Conſtantini uſque tempora contexendam, & ſagaciter inveſtigaverit, & feliciter inventum ad ſeverioris critices praecepta perpenderit. In iſto vero antiquitatis itinere multa alia ſe ſe obtulerunt Noriſio, quae diligentiſſime ab eo collecta magnum lumen chronologiae, & Auguſto-

rum hiſtoriae attulerunt. Haec cum perveniſſent in manus Chriſtinae Svecorum Reginae, Noriſium ſuae domeſticae Academiae illa adſcribi voluit, orationemque ab ipſo veluti penſum exegit. Paruit Reginae voluntati; ſed me latet quo in argumento hujuſmodi verſata ſit oratio. Praemia etiam eidem Chriſtina obtulit, ſi Romae eſſe voluiſſet, ſed haec modice tangebant hominem, qui in Etruria ſibi tutum & tranquillum portum, & in Mediceorum Principum beneficentia, ac Magliabechii ſui amicitia belliſſimum ſtudiis ſuis ſubſidium fore ſperabat. Iis vulgatis Diſſertationibus, quae ſane plurimum commendationis ab aequis judicibus habuerunt, majora fidentius ſe tentare poſſe putavit Noriſius, ſed dolebat non ſatis temporis ſibi relinqui a ſcholae occupationibus, praeſertim cum ſua commentata & ſcripta memoriter recitare deberet. Tum enim in Piſano Gymnaſio vigebat iſthaec perverſa conſuetudo, quam cum plures doctiſſimi viri ferre non potuiſſent, ab eo diſceſſerunt. Itaque ſuſcepto magno opere de Cenotaphiis Piſanis, quo in id unice incumberet, vacationem publici muneris, ut ſibi per triennium daretur,

facile a Magno Duce impetravit. Rem illo, quod mireris, tranſegit triennio, & librum Venetiis edidit Baleonianis typis an. MDCLXXXI. Quae huic libro ſubjecta materies fuerit titulus indicat, qui eſt hujusmodi. *Cenotaphia Piſana Caii & Lucii Caeſarum diſſertationibus illuſtrata, in quibus Coloniae Juliae Piſanae origo, vetuſti magistratus & ſacerdotum collegia: Caeſaris utriuſque vita, gesta, & annuae eorumdem inferiae exponuntur; ac aurea utriuſque cenotaphii Latinitas demonstratur, cum parergo de annis regni Herodis, de Praeſidibus Syriae, ac Romanis in Aſia Provinciis.* Edax tempus, cum delevisset Baſilicam Caii atque Lucii, porticum Liviae, nemus Caeſarum, inſignia utriuſque Caeſaris memoriae dicata opera, Cenotaphiis Piſanis, quibus nulla eorumdem Caeſarum nobiliora monumenta nunc ſuperſunt, pepercisse viſum eſt, ut per Noriſium, qui veluti nuntius quidam vetuſtatis eſſe videbatur, multa ad Romanam hiſtoriam, Romanorumque plures ritus, praeſertim funereos, & ad ipſarum Piſarum originem, dignitatemque declarandam opportuniſſima ſciremus. Quibus & talibus multis exquiſitis, hoc vel maxime effecit, ut non

amplius vocarentur antiquitatis inveſtigatores ii, qui opiniones hominum vel illustriorum, & ſaepe errores aucupantur, ſed qui per omnes partes eruditionis peragrant, qui infinita legerint, multa viderint, atque audierint; qui tempus cum tempore, rem cum re comparant, qui ſimilia adjungunt, vera ac falſa dijudicant, perfecta concludunt differendi ratione ac ſcientia. Ex quo cum ſumma utilitas exiſtit ad res ponderandas, abditaque in lucem proferenda, tum maxime ingenua delectatio & digna ſapiente. Sed haec ingenii & otii plurimum indigent. Magnum ſane Piſanis acceſſit decus per hunc, de quo diximus, librum, factumque opera Noriſii, ut plura antiquitatis monumenta apud eos extantia, quae antea in ſordibus atque oblivione jacebant, tanquam ornamenta civitatis apparuerint. Eodem, quo haec vulgavit, anno, Batavis typis imprimenda curavit *Somnia quinquaginta F. Macedi in itinerario S. Augustini post baptismum. Mediolano Romam ad Joannem Mabillonium*, cui libro nomen inſcripſit P. Fulgentii Foſſei. Res indigna atque intoleranda viſa eſt illi, Macedum in quadam ſua *Appendice itinerarii Augustiniani*, quam

cum libro *de Incarnatione* edidit, multa adeo aut ficta aperte, aut effutita temere inſeruiſſe de ſanctiſſimo Doctore atque magiſtro, ut confutandam ejus audaciam putaverit. Praeter multa, quae eximiam viri eruditionem praeferunt, illa maxime celebrantur, quae tempus definiunt, quo luſtralibus aquis ablutus eſt Auguſtinus, qua de re inter peritiſſimos antea diſputabatur. Quamvis aperte Noriſius minime faſsus ſit ſe hujus libelli auctorem eſse, tot ſunt tamen argumenta atque indicia, ut id tanquam exploratum nunc inter omnes conſtare videam. Quaenam vero cauſsa fuerit, cur alienam induerit perſonam, ignoro. Fortaſse cum genus ſtudiorum elegiſset, quod maxime tenebat eos, qui ejus ſcripta legebant, & quod non ſolum delectabat, ſed etiam ſine ſatietate delectabat, verebatur reprehenſionem multorum, qui ſuadebant haud terendum tempus cum iis, quos nihil intelligebat poſse docere homines, niſi ut auderent atque mentirentur. Erat in horum numero Magliabechius, homo eruditione ac memoria prope incredibili, & quo nemo unquam aptior extitit ad indicandas vias operis conficiendi, quanquam

nullius ipſe confector fuerit, ea credo de cauſſa, ut ſummam, quae tota Europa de illius doctrina ſurrexerat, famam facilius tueretur. Huic cupienti & inſtanti negare non potuit Noriſius, ut *de Epochis Syromacedonum* ſcribere inſtitueret; & illo ſuo ſingulari ingenii acumine, & theſauro numiſmatum a Mediceis Principibus collecto, quo nullum praeſtantius invenies, adjutus opus hujusmodi conficere potuit, ut Noriſianorum maximum illud audeas praedicare. Jam vero quanti muneris ac laboris erat vel minima quaeque in nummis & ſcriptis extantia expiſcari, ut eorum ope pars chronologiae, cujus neque perfectam ſcientiam, neque explanationem habebamus, optimo in lumine collocaretur! Joſephus quidem Scaliger omnium primus urbium Syriae epochas in earum nummis notaverat; ſed digitum tantum, ut dicitur, ad fontes intenderat: nam cum de Sidoniorum Aera loqui deberet, addidit *caput illorum annorum minime deprehendi poſse.* Quae hac ipſa de re tradidit Ezechiel Spanhemius (19) excitaſse magis quam expleviſse eruditorum deſiderium videntur. Glorioſe magis quam vere in eo ſe jactavit Harduinius,

Aeras

Aeras variarum gentium proprias, quae chronologicae artis Magistros fugerant ab ſe deſignatas fuiſſe (20); quae cum ita eſsent ad pene deſertum atque incultum campum excolendum ſe evocatum fuiſſe Noriſius putavit. Neque ex hoc ſuo labore mediocrem fructum ſpectabat, cum per eum non ſacram modo & eccleſiaſticam, verum etiam profanam hiſtoriam plurimum illustratum iri liqueret. Ex epochis enim hujusmodi bene conſtitutis ope numiſmatum, quae ad Principes & urbes illarum gentium pertinent, tempus imperii plurium Caeſarum demonſtratur, certius annorum in Faſtis Conſularibus ordo colligitur, donatae pleriſque vetuſtiſſimis Syriae urbibus libertatis exordia noſcuntur, & notae etiam quorumdam numerorum, quae in uſu erant apud Graecos ſive Syromacedones explicantur, quorum nuſquam veſtigium occurrit. Ut ſatietas varietate vitetur (paucos enim delectant, quae ad notationem temporum ſpectant) urbium multarum Syriae, nec-non Phoeniciae & Palaeſtinae origines, variamque illarum fortunam, Numina, quorum in tutela erant, ſymbola, ritus ceteraque hujuſmodi diligentiſſime Nori-

ſius perſequitur, quorum in ipſis nummis ſigna atque indicia cernere eidem licuit. Haec ſunt quidem omnia doctrinae maximae; nec ſolum auxiſſe, ſed pene creaſſe Noriſium hanc eruditionis partem prudentiſſimi viri judicarunt. Ille antiquitatis callidus inveſtigator Joannes Vaillantius, qui hiſtoriam Regum Syriae conſcripſerat, minime ſatiari poſſe videbatur Noriſii opus legendo ac laudibus celebrando, quare multos, & ipſas quoque Latinas muſas (21) ad gratulationem devocavit. Quoniam vero nihil eſt ſimul inventum & perfectum, tum ab ipſo Vaillantio, tum ab aliis Gallorum doctiſſimis Noriſius alios Syromacedonum nummos accepit, quibus poſtea non pauca addere operi, quaedam corrigere, & multo plura novis argumentis monumentiſque confirmare potuit. Iſtud operis corollarium in lucem exiit an. MDCLXXXXI. biennio ſcilicet poſtea quam opus ipſum typis impreſſum fuerat. Huic quoque addidit Faſtos Conſulares omnium optimos, quos e Caeſarea bibliotheca per Magliabechium a Conrado Janningo S. J. deſcriptos habuit. Horum fragmentum ediderat Bucherius; at Toi-

nardo ac Pagio poſtulantibus, eos Noriſius edidit integros. Vel antea cum Pagio hac de re pluribus litteris egerat, nec ſatis mirari poterat hominem ceteroquin eruditiſſimum atque ſagacem eo errore ductum, ut arbitraretur eſſe Dionis Conſulum indicem, quem Leunclavius e Panvinio exſcripſerat, ut illo ſuam Dionis editionem exornaret (22). Ex iis litteris una extat cum hac inſcriptione: *Epiſtola Conſularis, in qua collegia* LXX. *Conſulum ab anno Chriſtianae epochae* XXIX. *Imperii Tiberii Auguſti decimo quinto uſque ad annum* CCXXIX. *Imperii Alexandri Severi octavum in vulgatis Faſtis hactenus perperam deſcripta, corriguntur, ſupplentur, & illuſtrantur*. Invenit poſtea haud pauca, quae huic adderet epiſtolae editae Bononiae an. MDCLXXXIII. eodemque tempore magnum opus habebat in manibus, quo univerſos Faſtos emendare atque illuſtrare ſibi propoſuerat. Incredibiliter illum commovebant ad iſtud opus abſolvendum rei utilitas, multorum ac praeſertim Nicolai Toinardi Aurelianenſis cohortationes, & ſtudium in Panvinium, in quem injuſtum fuiſſe affirmabat Baronium, quod ab illius Faſtis omni-

no diſcedendum putaverit. Quid vero cauſſae fuit, cur hanc dimiſerit curam, ignoro. Neque illud minus miraberis ex magna collectarum rerum ſilva nihil ad nos perveniſſe, neque id modo, ſi tamen extat, occultari, ſed alia quoque hujuſmodi ſcripta, quae ab ipſo condita fuiſſe ſcimus (23). Ingreſſus jam erat dicere in praefatione ad Epochas Syromacedonum de inſigni quodam Herodis Antipae nummo, quo definire ſe poſſe tempus putavit, quo Herodes magnus (hac enim de re inter peritiſſimos maxime ambigebatur) mortem obiit. At paullo poſt admonitus a Toinardo male expreſſam fuiſſe ejuſdem numiſmatis epigraphen (non enim per ſe illud ipſum videre potuerat) hac de re accuratius egit in Epiſtola ad Antonium Pagium. Sed ſibi jam defeſſo animi & corporis laboribus in inveſtigandis Syromacedonum epochis haec excidiſſe dicebat, haud deſperans fore ut aliquando certiora ex aliis monumentis eliceret. Poſtquam vero audiit Toinardum ipſum in univerſa Herodiadum genealogia explicanda vehementer elaborare, omnia ſumma expectans ab homine prudentiſſimo atque dili-

gentiſſimo omnem hac de re cogitationem abjecit (24). Multa ſimul animo agitabat Noriſius, cum tam lautam ſupellectilem haberet in manibus ad illuſtrandam antiquitatem. Magnam collegerat numiſmatum copiam Ferdinandus I. ceterique Medicei, qui ante eum fuerant, heroes; majorem etiam comparaverat Leopoldus; neque eorum diligentiae quicquam viſus eſt conceſſiſſe Coſmus III. cum tredecim uſque numiſmatum millia, parvi ſane coempta, ab Hiſpania ad ſe deferenda curaverit. Separatim cum haec omnia ſervarentur, ſuaſit Noriſius, ut ex tribus gazis una fieret; qua re probata, ipſe quadraginta & amplius millia numiſmatum diſtribuere atque in ordinem redigere debuit. Neque iſta terrebant hominem flagrantiſſimo ſtudio, & qui ali induſtria videbatur; quin immo ſummi beneficii loco ſe habere dixit, quod Magnus Dux ſibi copiam ſuppeditaverit multa nova cognoſcendi. Vigilabat vero de nocte, ut ſuis conſultoribus reſponderet, & multum prudentiae ſuae impertire potuit vel iis, qui in hujuſmodi ſtudiis principes habebantur. Quare ſi quid ab iis accipiebat, ita reddebat, ut impendiis etiam poſſet auge-

re largitatem muneris. Ex Italis praeſertim coluit Joſephum Magnavaccam, Raphaelem Fabrettum, Jo. Ciampinium, & Franciſcum Mediobarbum, cui mirificus adjutor fuit in Occonis libro illuſtrando augendoque (25); ex Gallis Claudium Nicaſium, Antonium Pagium, Toinardum, & Vaillantium (quanquam hunc poſtremum alienae laudis invidum eſſe ſuſpicabatur); ex Germanis Ezechielem Spanhemium; ex Belgis Gisbertum Cuperum; ex Anglis Guillelmum Loydium, quo neminem in hiſtoria veterum ſe eruditiorem noviſſe teſtabatur. Admirabatur etiam ſingulare Joannis Harduinii ingenium, & aliquando judicavit nihil potuiſſe fieri melius illius opere, quo poſt Holſtenium urbium tum Latinarum, tum etiam longe plurium Graecarum numiſmata explicanda ſuſceperat. Sed propius re inſpecta, ut admirationis, ſic reprehenſionis multum illud habere ſenſit. Quoniam autem explicanti epochas Syromacedonum haud in poſtremis eſſe debebat errores notare vel illuſtriorum ſcriptorum, minime Harduinio pepercit Noriſius, quando ratio & opportunitas id poſtulare viſa eſt. Qua re quidem factum, ut Harduinius poſt

Noriſii mortem ſuimet corrector fuerit, cum Batavis typis ſecundo edidiſſet librum *de nummis antiquis populorum & urbium*; ſed pertinaciter infenſus Noriſio, ut erant Ieſuitae omnes, continere non potuit iracundiam ſuam, quin multa jaceret in Noriſianum opus, vix illud in lucem emiſſum eſt. Quod ab eo objectum fuit, lepore magis elevandum, quam contentione frangendum principio Noriſius putavit. Itaque ſaepe quidem & coram & per litteras collocutus cum amicis eſt de Harduinii ſomniis, ſed cum eo rem publice habere noluit, quod intelligeret, plurimum id valiturum ad ejus acuendam petulantiam. Quid omnino ſentiendum eſſet *de Adventoria pro Eumenio Pacato*, de epiſtola, quae inſcribitur *ad Valentem, triplex nummus, de Proluſione chronologica, de nummis Herodiadum*, aliiſque ſcriptis Harduinii, in quibus ſui defenſionem cum Noriſii aliorumque accuſatione conjunctam eſſe voluit, docuit Vaillantius, qui etiam in medium protulit Neronis nummum, in quo hujus Imperatoris nomen clare legebatur, quemque Harduinius contra Noriſii ſententiam Domitiano tribuendum eſſe contendebat. *Sic*

agam tecum, ajebat Noriſius cum ad Harduinium ipſum exercitationis ergo Paraeneſin ſcriberet, quae in lucem Amſtelodami quinquennio poſt ejus mortem prodiit, *ut quoniam me loqui voluiſti, aliquid de tuis vitiis audias. Quid tibi plaudis, aut cur te magnifice oſtentas, ea in lucem proferentem, quae cum lumen adhibere rebus debeant, obſcuritatem & tenebras afferunt?* Quibus verbis Noriſius carpere praeſertim volebat Harduinii temeritatem, qui ut commenti cujuſdam ſui probabilem rationem redderet, Joſephi Hebraei auctoritatem contemnere ac rejicere omnino videbatur. Id adeo viſum eſt indignum ipſis Jeſuitis, ut ad retractanda, quae hac de re exaraverat, ipſum adegerint (26). Narratur majus etiam opus ſcripſiſſe Noriſium contra Harduinium, in eoque correxiſſe & reſtituiſſe ab ipſo depravata multa (27), ſed quoad vixit, illud occultaſſe, eam voluntatem retinens, quam ſemper habuit, minime dimicandi cum homine, qui non minus doctrina, quam temeritate atque audacia omni abundabat. Atque his ſtudiis cum mirifice deditus eſſet Noriſius, multi mirabantur potuiſſe eum in tantis occupationibus praeſertim

ſcholae adeo multa perdiſcere, & adeo varia & longe petita ad uſum ſuum transferre. Porro ſi quaeratur qui excelluerint apud nos ex omnibus antiquitatis inveſtigatoribus, non dubitabis quidem Noriſio & Bonarrotio palmam dare; & dum miraberis in utroque eruditionis ubertatem, varietatem, copiam, & illud acerrimum ingenium, quo dum tranſilire videntur vulgaria, & ante pedes poſita, nihil tamen, quod ad rem pertineat, praetermittunt, & vel illa, quae craſſis putabantur occultata & circumfuſa tenebris, in lucem feliciſſime proferunt (28), vix credas utrumque litteris Graecis vel mediocriter inſtructum fuiſſe. Sed nihil non obtinebant acumine, induſtria, atque diligentia. Quoniam in explicandis veteribus monumentis eſſe divinus putabatur Noriſius, multi & Joannes praeſertim Ciampinius ab eo eſſlagitarunt, ut poſtquam de Paſchali veterum Latinorum cyclo peculiari diſſertatione, quae adjecta eſt libro de *Epochis Syromacedonum* diſputaverat, explanare etiam vellet alium hujuſmodi cyclum in marmore ſcalptum, qui Ravennae extabat. Exhibebat hic cyclus Dionyſianam periodum, quae

illi priori apud Latinos ſucceſſit; & quamquam homines in doctrina temporum plurimum verſati hac de re ſe ſatisfeciſſe eruditorum deſiderio gloriarentur, aliter tamen viſum eſt Noriſio quaedam adhuc eſſe affirmanti, de quibus nihil conſtitui poſſet, quod non incurreret in magnam aliquam difficultatem. Ut internoſci poſſet quid ipſe ex hoc aliiſque monumentis eliceret, Scaligeri ac Petavii saepe ſententias examinat, & interdum etiam emendat; & ne jejuna atque nuda, ſed adſperſa atque diſtincta multarum rerum jucunda quadam varietate eſſet haec Diſſertatio, morem ac ritum plurium Eccleſiarum in celebrando Paſchate explicat; & illa ipſa pars, in qua marmoris explicatio poſita eſt, videtur omnem doctrinam, quae ad Dionyſianum cyclum pertinet, continere (29). In his conficiendis ſcriptis magno illi erat adjumento bibliotheca Magliabechii, cujus difficillimos mores obſequio ac patientia mitigabat. Sed accidit res, quae hominem adulationis, blanditiarum, aſſentationis percupidum a ſe per aliquot menſes alienavit, ex quo magnam animo cepit moleſtiam. Cum in odium acerbiſſimum

is veniſſet Moneliae, quo medico Coſmus III. utebatur, omni injuria ab eo laceratus eſt; maliqne hominis artes effecerunt, ut de ejus moribus indigna ipſe Coſmus ſuſpicaretur. Ad repellenda maledicta in ſe aſpere & ferociter & libere non modo dicta, ſed etiam ſcripta, idoneas eſſe, putavit clarorum virorum ac eorum praeſertim, qui ſe ſacris devoverant, laudes & praeconia, non quae veritatem, ſed quae turpem aſſentationem imitarentur. Centum uſque collegit autographa obſignataque publico ſigno, quae ſancte teſtabantur nihil perfectius extitiſſe Magliabechio, hunc e caelo non hominem, ſed Angelum, & quaſi alterum Meſſiam delapſum quamdam particulam eſſe Divinae ſapientiae, & virum non integrum modo, innocentem & religioſum, ſed etiam ſanctiſſimum atque divinum ne nomen quidem peccati noſſe (30). Haec, aliaque hujuſmodi ſtomachans Noriſius longiſſime abfuit a viliſſimorum aſſentatorum exemplo imitando, quod vehementer Magliabechio diſplicuit. Poſtea vero quam ſedati paullulum & reſtincti fuerunt malevolorum ſermones, Magliabechius reſtituiſſe viſus eſt Noriſio vete-

rem illam ſuam benevolentiam, ſi tamen in animo ambitioſo ac vano, & ad fingendum ſimulandumque nato ullus unquam amoris ſenſus potuit exiſtere. Gratus quidem ſemper judicari voluit Noriſius erga eum, quem omnis fortunae & gloriae ſuae auctorem praedicabat, cum quidquid eſſet, quidquid ſciret commorationi ſuae in Etruria tribuendum eſſe diceret. Itaque minime eſt mirandum ſi invitiſſime ab ea ſe abſtrahi ſivit. Sedebat tum ad Eccleſiae Romanae clavum Innocentius hujus nominis XII. qui quamvis omnis doctrinae expers eſſet atque omnino ignarus, litteras tamen litteratoſque viros amabat, tuebatur atque fovebat. Hoc enim Principe dignum, hoc ad publicam utilitatem maxime conducere arbitrabatur. Cum ad ejus quoque aures fama perveniſſet Noriſii, audiviſſetque a Chriſtina Svecorum Regina, quantum ex tanti viri opera ſperari potuiſſet & ornamenti & commodi, nihil praetermiſit quod ad avocandum illum ab Etruria ad ſeque alliciendum pertineret. Hujusmodi invitamenta non multum apud eum poſſe, cum ſaepe alias, tum maxime imperante In-

nocentio XI. P. M. cognitum fuit. Nam cum praemiis non modo (offerebatur enim illi, quod multi optabant, honorificentiſsimum in bibliotheca Vaticana munus) ſed minis etiam ad deſerendam Etruriam incitaretur, ipſe parere diſtulit, quoad Magni Ducis opera, quod multis & ſupplicibus verbis imploravit, effectum eſt, ut ei remanere liceret. Sed quo magis opinio de Noriſii doctrina vel apud exteras nationes multorum ſermone percrebuit, eo majus exortum eſt deſiderium illum Romae habendi; neque Magnus Dux Pontificis voluntati diutius reſiſtendum putavit. Videns Noriſius non amplius fore ſibi poteſtatem ſua Romae excolendi ſtudia, ſine quibus nullam fere vitam eſſe ducebat, nullamque vel commodi vel honorum, qui proponebantur, rationem habens invitiſſime ab Academia Piſana diſceſſit. Quanta machinatione ſtuduerint Jeſuitae contorquere Pontificem ad odium in Noriſium, non ſolum veteres accuſationes refricantes, ſed nova etiam confingentes crimina, ex ipſo Noriſio intelliges, qui rem totam Baſſetto Canonico (erat hic Cosmo Duci ab epiſtolis) narra-

vit (31). Minime quidem Pontifex ſe expugnari eſt paſſus, quamvis extremo tempore adhibita etiam Segneri eloquentia fuerit. Itaque Noriſius in locum ſufficitur Emmanuelis Scheleſtratii, qui primarii Cuſtodis Vaticanae bibliothecae munus geſſerat. Male narratur a nonnullis (32) praefectum ipſum quoque fuiſſe Sacrario Apoſtolico, quod quidem munus antea ſibi oblatum recuſaverat, neque multos poſt dies, quam Romam advenerat, delatum fuit Lodruo homini Belgae, qui in rerum divinarum ſcientia excellere putabatur (33). Plura alia Pontifex indicia dedit benevolentiſſimi animi ſui in Noriſium, quibus nonnihil fracta eſt licentia adverſariorum illius. Coepit etiam ejus opera in multis magniſque rebus adhiberi. Sed eſt incredibile quam illum hujusmodi occupationum taederet recogitantem ſe omnino privatum otio, quod ſtudiis ſuis jucundiſſimis remotus ab oculis populi & aulae antea ſuppeditare conſueverat. Tum maxime agitabatur de reconciliandis Pontifici iis Epiſcopis, qui in conciliis Cleri Gallicani, quae habita ſunt anno MDCLXXXII. capita quaedam, ſeu ut vocant

propoſitiones, tanquam libertatis vindices aſſenſu ſuo comprobarunt. Quoniam his laeſa plurimum Romani Pontificis auctoritas putabatur, declaraverat Alex. VIII. eadem habenda *pro irritis infectiſque*, & haec ipſa declaratio exigebatur ab iis, qui ad Eccleſiarum gubernaculum accedere debebant. Res intoleranda viſa eſt Ludovico Regi, & in acerrima ac diuturna diſputatione viginti uſque Dioeceſes ſuis carebant rectoribus. Huic malo conſulere ſatagebat Innocentius, utpote qui pacis erat amantiſſimus; itaque illud oneris impoſuit Noriſio, ut quid faciendum eſſet ſcripto mandaret (34). Non ſolum ei diſputandum erat cum ipſis Gallis, ſed cum quibuſdam Cardinalibus, ac praeſertim Franciſco Albanio, qui Segneri aliorumque Jeſuitarum impulſu ſeveritatem judicii nulla humanitate mitigandam ſuadebant. Veritus Noriſius ne Pontifex a priſtina ſua voluntate diſcederet, narravit ei Hadriani II. exemplum, qui cum Nicolao I. ſucceſſiſſet, qui aſpere & ferociter Galliae Epiſcopos tractaverat, jubens eorum concilia eſſe irrita, ſpolians dignitate binos Archiepiſcopos, & vel ipſum Lotarium Regem di-

vis devovens, tantum abſuit ab imitando hujuſmodi exemplo, ut clementia, manſuetudine, atque aequitate illorum omnium pervicaciam vicerit. Auguſtini vero aliorumque SS. Patrum teſtimoniis expoſuit quid ſentiendum de iiſdem illis capitibus, de quibus nimis iracunde & valde intemperanter multi Romae loquebantur. Probavit etiam Pontifici contra Segneri ſententiam, verbis non re diſſideri in praeſcribenda formula quadam, qua Epiſcopi aliquantulum remittere ex eo videbantur, quod in illo conventu ſtatuerant. Quid? Noriſii prudentia dexteritateque omnino factum eſt, ut acerrima controverſia dirimeretur, qua in re non tam Pontifici, quam ipſi Galliarum Regi (qui declaravit quanti illum aeſtimaret) cumulatiſſime ſatisfecit. Quod Magnus Dux pro Gallis interceſſerat, Noriſii judicium metus aut ſtudium viſum eſt illius obtrectatoribus, quaſi ipſe pluris unquam potentium gratiam, quam officium libertatemque ſententiae aeſtimaſſet. Sed Pontifex, qui jam expertus erat ejus integritatem, fidem atque modeſtiam (nihil enim faciebat niſi juſſus, nec niſi vocatus ad Pontificem

ipſum

ipſum accedebat) honorifica de eodem prae-dicabat, multis magniſque in rebus ipſum adhibebat; ſeque omnia, quae ad ejus dignitatem augendam pertinebant, magna cura ſuſcepturum ac defenſurum oſtendebat. Id cum animadvertiſſent Jeſuitae, quem tantopere ac tam indigne offenderant, omni ſimulatione lenire curarunt: maxime enim verebantur ne aequa atque ſalutaria is conſilia daret Pontifici, quae ad prohibendos eorum temerarios conatus adverſus Thyrſum Gonzalezium valerent. Quamvis ipſe intentus eſſet ad fraudes cavendas, aliquam tamen in ſpem venit, fore ut iiſdem hominibus in poſterum uteretur pacatioribus vel ipſa conſcientia fretus omnium dictorum ac factorum ſuorum: ſed brevi ſe illuſum ſenſit. Nam *Conſultor*, ut vocant, *S. Officii*, & *Sacrorum Rituum* factus, cum in ore atque ſermone coepiſſet eſſe omnium, perinde ac ſi deſignatus fuiſset Cardinalis, velis, ut ita dicam, remiſque homines implacabiles Summum Pontificem ab eo alienare ſtuduerunt, quaſi, illo Cardinale, obtinere ſe poſse deſperarent licentiam cupiditatum ſuarum: Tum iſtud obtrectare

non inutile fore putabant, cum voluiſſet eſſe miniſter accuſationum non ille ſolum inſulſus & inverecundus homo Diezius, ſed & Cardinalis Lavria, qui ſex ſupra quadraginta capita reperiri in hiſtoria Pelagiana, ac Vindiciis Auguſtinianis non ſolum diſputatione theologorum, ſed pene vinculis & carcere caſtiganda affirmabat. Res tota commiſſa eſt judicio quinque doctiſſimorum Theologorum, in quorum manus etiam pervenerunt omnia Lavriae ſcripta, qui per illos dies mortem obiverat. Judicarunt hi omnia pura ac liquida ex SS. Eccleſiae Patribus, ac praeſertim Auguſtino hauſiſſe Noriſium, & quae objiciebantur non ſolum putida, ſed etiam invidiae ac malevolentiae plena viſum iri omnibus iis, qui veritate & divinarum legum norma, non odio & praejudicatis opinionibus judicant. Hoc judicium Pontifex ad *S. Officii* decuriam referri juſſit, quod cum ratum ipſa habuiſſet, ampliſſimum atque ornatiſſimum de Noriſii ſcriptis decretum fecit, malum minitans illis, qui renovare accuſationes auderent (35). Porro quid firmius ad defenſionem Noriſii, quid ad ejus laudem illuſtrius, quam ter uſque il-

ſum ſubiiſſe acria & ſevera ſummorum hominum judicia ſine ullo exiſtimationis detrimento, cum adeſſent accuſatores potentiſſimi, & ad omnem ultionem paratiſſimi? Tum reſedit omnis animo timor, tranquilliorem vitam aequiſſimi Pontiſicis praeſidio se victurum Noriſius confidens. Vix dum re confecta, bini Jeſuitae adeunt Pontificem ipſum, ab eo efflagitantes, ut ſineret pronuntiatam ſententiam ſubjici cujusdam examini, qui in eorum Societate theologorum princeps numerabatur. Nihil conceſſurus videbatur Pontifex eorum audaciae petulantiaeque. Fecit tamen quod poſtulabant eo conſilio, ut magis magiſque emineret atque appareret Noriſii innocentia atque doctrina. Viſus eſt ille Ignatianus Doctor ſentire leniſſime, qui ajebat binos ſe tantummodo habere ſcrupulos, quos ſibi evelli optabat. *Siquando aliquis ſcrupulus mentem movet*, ſcribebat ad Reginum Comitem clarus ille Carthaginenſis Eccleſiae Diaconus Ferrandus, *non ſequaris facile ſententiam propriam, nec aliis perſuadere coneris*. Sed ille *alienorum dictorum ſcrupuloſiſſimus ac calumnioſiſſimus diſcuſſor*, ut ipſum Facundi Hermianen-

ſis in Africa Epiſcopi verbis appellare ſolebat Noriſius, plures diſſeminavit libellos (36) non ſolum ſcrupulis, ſed etiam criminationibus refertos, tum ad odium in Noriſium ipſum excitandum, tum ad tacite reprehendendam latam ſecundum eum ſententiam. His vulgatis, ſilere optabat Noriſius, qui jam obduruerat in patientia hujusmodi machinationum. Sed non ſolum impulſu, ſed etiam juſſu Innocentii Pontificis calamum ſumpſit, & atramento non admodum temperato reſpondit omnibus adverſarii *ſcrupulis*. Sic liber inſcribitur, qui aditum ad Cardinalatum Noriſio aperuiſſe putatur. *Hiſtorica diſſertatio de uno ex Trinitate carne paſſo: accedunt hiſtoriae Pelagianae ab Anonymi ſcrupulis vindiciae* (37). Nemo ignorat in illa turbulentiſſima tempeſtate Chriſtianae reipublicae, quae per Monachos quosdam Scythas ſub Juſtiniano Imperatore excitata eſt, plura diſputata ac definita fuiſſe, ac quaeſitum praeſertim *de uno ex Trinitate paſſo*. Cum neceſſe fuiſſet Noriſio de his Monachis ſcribere in hiſtoria Pelagiana, facile eos ab Eutichianae haereſeos nota vindicavit, probavitque illum dicen-

illi modum interdum rejectum, interdum approbatum fuiſſe a Romanis Pontificibus. Ex hoc loco delicatulus ille ſcrupulorum Auctor colligere ſe poſſe putavit, ſolemne illud dogma de Romani Pontificis *infallibilitate* penitus convelli a Noriſio. Volens hic pateſacere nodum in ſcirpo quaeri, univerſam hiſtoriam controverſiae *de uno ex Trinitate paſſo* narrandam ſuſcepit, ex qua narratione intelligi potest nihil ſe detraxiſſe de Pontificum Romanorum auctoritate ac juribus, atque ea protuliſſe, quae monumenta antiquitatis, lucurlentorum ſcriptorum teſtimonia, atque ipſa recta ratio ſuadebant. Tali modo & hiſtoriam illuſtravit, & illam theologiae partem, quae ad Incarnationis myſterium pertinet, docte ac perite exornavit. Qui dubitare videntur (inſulſe quidem) num interiorem & reconditam quamdam rerum divinarum ſcientiam habuerit Noriſius, quae par in illo fuerit atque vetuſtatis notitia, percurrant hanc, de qua diximus, diſſertationem, atque *Auguſtinianas Vindicias*, & ſi aequi eſſe voluerint profecto ſtatuent illum numerandum in principibus ſuae aetatis theologis.

neminemque ſuperiorem habuiſſe, quemadmodum de illo vere praedicarunt operum Auguſtini Gallici editores, in vindicanda interpretandaque illius ſapientiſsimi ac ſanctiſſimi Epiſcopi doctrina. Illi priori diſſertationi alteram addidit Noriſius, qua Monachos Scythiae omni prorſus ſuſpicione Eutichianae haereſeos liberavit. Atque hoc ipſum ſibi cum Petavio, Thomaſinio aliiſque conveniebat: ſed ad rem certiſſimis argumentis demonſtrandam inveſtigavit atque perſcrutatus eſt omnia illorum temporum monumenta, & diligentiſſime examinavit omnium verborum pondera, quibus iidem Monachi uſi ſunt in *profeſſionibus*, ut loquuntur, Fidei, ceteriſque eorum ſcriptis. Cum multorum & ipſius Garnerii teſtimoniis oſtendiſſet Noriſius in tertia diſſertatione plures Galliae Epiſcopos, & ipſum Vincentium Lirinenſem in errores Semipelagianorum inductos fuiſſe, ſic compellare potuit adverſarium ſuum. *Non tui te piget, homo leviſſime, cum ea in me culpas, quae inveſtigatoribus veritatis gloriae ducuntur, & quae propugnatores habent Jeſuitarum doctiſſimos?* Quod vero ad Janſenii errores, quibus lepidum il-

lud caput omnia Noriſii theologica ſcripta aſperſa dicebat, & actum videri de Chriſtiana republica, niſi cenſoria animadverſione ii coarguerentur, uſurpare ſolitus erat Noriſius graviſſimam illam Auguſtini ſententiam: *quid adhuc quaeris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem?* Sed haec nihil valebant ad evellendam importunitatem ex animis invidorum: itaque ea pro ſe ipſe ſcripſit, ut non ſupplex aut reus, ſed magiſter ac dominus videretur eſſe iniqui Cenſoris. Quoniam vero plura erant in *Reſponſis adverſus gerras germanas Germanitatum &c.* ad diluendas hujuſmodi accuſationes opportuniſſima, leviter eadem hoc loco tetigit, ut memoria, non oratio renovata videatur. Differuit tamen & ſubtiliter & copioſe in extremo libro *de orationis gratia & effectibus*, cum illud praeſertim ſibi propoſuiſſet oſtendere in mala & artificioſa criminatione, quid illud eſſet, in quo ipſe ceterique Auguſtini ſectatores a Janſenio diſcreparent. Nondum haec typis vulgaverat Noriſius, cum audit nihil non moliri Jeſuitas, ut ſua ſcripta ab iis, qui Fidei quaeſtionibus in Hiſpania praeerant, dam-

narentur. Narrat id Pontifici, qui hoc nuntio maxime commotus eſt, pergraviter reprehendens illorum hominum inſolentiam, quae nunquam poſſet cohiberi, jubenſque Noriſium bono animo eſſe, & omnia a ſe expectare: nam ſe brevi illum Cardinalem creaturum, eaque in re non ſolum privatas, ſed etiam publicas injurias ulturum. Non reverens Noriſius ſuſpicionem fictae ac ſimulatae modeſtiae, quod optime cognitus eſſet Pontifici, magnis precibus ab ipſo petiit, ut ſibi vitam privatam & quietam degere permitteret; ejus ſe contentum eſſe praeſidio ad incontinentiam adverſariorum comprimendam; nunquam ſe honores appetiviſſe, & illos praeſertim, qui nullam cum ſtudiis ſuis haberent rationem (38). His pervulgatis rebus, nonnulli deſipere Noriſium ajebant, quod repugnaret ac reſiſteret fortunae, ac victor negligeret agere ex inimicorum dolore triumphum juſtiſſimum; iratiſſimi Jeſuitae non tam Noriſio quam Pontifici haec temere effutire non dubitabant;

Si merito tyrio fulget Noriſius oſtro

Debuit Iprenſi trina corona dari;

ri demum, quibus mos erat Plautinis ſalibus Thraſonem militem Macedonicum, ceteroſque Noriſii oppugnatores perfricare, illa ex Trinummo uſurpabant (39):

Non enim poſſum quin exclamem: euge euge Lyſiteles πάλιν.

Facile palmam habes; hic victus, vicit tua comoedia.

Dies, quo Pontifex Noriſium in Cardinalium collegium cooptavit, magna bonorum omnium laetitia atque gratulatione celebratus eſt. Is autem fuit prid. id. Decemb. an. MDCXCV. Plerumque evenit, ut qui honores ſitivere, obtentos jam faſtidiant. At nullam ſatietatem neque celerem neque ſeram timere debuit Noriſius, qui ab ambitione ſemper fuit alieniſſimus (atque hujus rei ſane non mediocre eſt argumentum, quod oblatum ſibi antea Epiſcopatum Piſtorienſem recuſaverat) qui quae homines maxime admirantur, plena futilitatis ſummaeque levitatis eſſe dicebat, cuique nihil tam moleſtum erat, quam ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi (40). Atque is quidem ſaepe querebatur cum amicis, quod cum nihil optaſſet magis quam *ſeneſcere*, ut ajebat Solon, *ſe multa in dies addiſcentem*, *ſecum eſſe*, *ſecumque vivere*, ſtudia doctrinae omnino deſerere,

& aliorum arbitrio vitam agere coactus fuerit. Cum adeſſet vero illis *S. Officii*, *Indicis*, *Rituum atque Concilii*, ut vocant, coetibus, propter magnam opinionem doctrinae principatum ſententiae tenere videbatur; & plus oneris quam ceteri collegae habebat, quod ſaepe ei extraordinaria mandata, & vel ea, quae ad Reipublicae adminiſtrationem pertinebant (40), darentur. Quoniam vero fuga laboris deſidiam, repudiatio ſupplicum ſuperbiam, amicorum neglectio improbitatem coarguit, ſic ſe gerendum recenti auctus dignitate Noriſius putavit, ut nemo illo induſtrior, nemo magis miſericors, nec officioſus magis fuiſſe videretur. Atque hujuſce rei conjecturam de illius ſtudio in Papebrochium facillime ceperis. Plurimi faciebat, amabat etiam hominem Jeſuitam, oblitus injuriarum, quas in ſe jecerat, cum ei de S. Hilarii Arelatenſis vita ſcribendum fuiſſet. Itaque cum multi poſtularent, ut cenſoriae ſeveritatis nota quibuſdam illius ſcriptis, ac praeſertim *Propileo* inureretur, tanta cura rem amici ſuſcepit, ut ſuam videretur agere. Conſilium ei etiam dedit quaedam corrigendi ad hiſtoriam

Pontificum pertinentia, quae ſumpſerat praeſertim ex hiſtoria Conclavium edita Lugduni, a Romanis cenſoribus jam notata. Quid plura? Omnem fere memoriam antiquitatis collegit tum ex editis, tum ex ineditis minimeque ſuſpectis libris, quam maxime conducere putavit ad multa chronologica definienda de imperio atque obitu Romanorum Pontificum, de quibus vel inter peritiſſimos ambigebatur. Ex his librum contexuit, cui titulum fecit: *Notae in Propileum*, quam ob rem ceteraque Noriſii beneficia miras eidem Papebrochius gratias egit. Defendit etiam alios Bolandiſtas adverſus Carmelitarum atque Dominicanorum accuſationes quaſdam. Quam moderationem aequitatemque in ſententia dicenda maxime ſuſpiciebant Jeſuitae. Noriſium enim imitaturum exemplum putabant Noalieſii Cardinalis, hominis vehementis atque diſerti & in primis fortis ad reſiſtendum, quem cum terreri poſſe exiſtimaſſent, illa dixiſſe narratur: *ſi me coercere vultis, haec vobis eſt excidenda lingua, qua vel evulſa, ſpiritu ipſo libidinem veſtram libertas mea refutabit.* Ut erat bonorum fautor mirificus Noriſius, ita malorum ſeverus erat ob-

jurgator; quare facile ab eo Pontifex obtinuit, ut longo & docto opere Aloyſium Maimburgum confutaret, qui hiſtorici munus idcirco ſuſcepiſſe videbatur, ut liberius calumniaretur. Cui unquam pepercit? Quot conviciis Ieſuitarum impudentiſſimus vel ipſum Boſſuetium ſub Cardinalis Contareni nomine exagitavit? In hujuſmodi confutatione hiſtoriam praeſertim, ut loquuntur, *Inveſtiturarum* narrare ſibi propoſuit Noriſius, quod dum praeſtaret, quoddam ſibi officium juſtum, & pium, & debitum Romanae Eccleſiae, ſuaeque dignitati ſequi videbatur. Nemo vero ignorat hujuſmodi contentionem per quinquaginta & amplius annos ſub Imperatoribus Henrico IV. & illius filio ejuſdem nominis V. adeo viguiſſe, ut divina & humana ferme cuncta permiſcuerit, & bellum non modo, ſed & vaſtitatem Romanae ditionis urbibus intulerit. Dum hujus contentionis hiſtoriam perſequitur Noriſius, multa & praeclara Romanorum Pontificum geſta ac praeſertim Gregorii VII. in aperto ponit, ex quo intelligas qua ratione in vindicandis Eccleſiae juribus obviam itum potentium ſuperbiae atque ava-

ritiae, & coercita illorum vecordia, qui ad Epiſcopatus ceteroſque Eccleſiae honores atque munia per malas artes nitebantur. Sed homo purpura indutus non omnia, uti geſta fuerant, aperire, neque quid & qua de cauſſa conſilii habuerint ipſe Gregorius VII. ejusque ſucceſſores, dum in arcem illius cauſſae invaderent, explicare potuit; quare, ſi id evenit, quod ei quoque ingredienti in cauſsam forteſse viſum eſt accidere debere, ut non omnes ejus dictis plane acquieverint (42) non propterea de illius fama aliquid detractum judicabimus. Nec ſolum ex honore ac neceſſitate quaerenda excuſatio, ſed etiam ex feſtinatione, qua opus contexuit, cui cum manus extrema minime acceſſiſset; Juſtus Fontaninius, ad quem Noriſii autographum pervenit, multa, quae deerant, ſupplevit. Producta tamen hiſtoria illa ad Callisti uſque II. Pontificatum fuit, inter quem & Henricum V. illud an. MCXXII. inter cetera convenit, liberum eſſe debere Eccleſiae judicium in eligendis Epiſcopis; *Inveſtituram* ab iis ſolum exigendam, qui feuda poſſiderent; neque in ea concedenda utendum amplius, ſicuti antea, baculo & an-

nulo, ſed ſceptro tanquam commodatae poteſtatis ſigno. Ex his illa oriri videbatur quaeſtio, num *Regalia*, ideſt jus percipiendi redditus Sacerdotiorum vacuitatis tempore, aliquid commune cum *Inveſtiturae* jure haberet. Hac enim de re magna iis temporibus erat controverſia inter Galliae Regem & Romanum Pontificem. Dum ſcrutatur Noriſius & explicat omnia fere antiquitatis monumenta, illud ſuadere vult, nunquam fas fuiſse Principibus per Epiſcopos & ſummos Pontifices illos redditus ſibi vindicare: ſaepe vero accidiſse, ut cum ab iis, qui advocati dicebantur, & qui adminiſtratores boni & tutores fideles eſse debebant, tanquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis, invocarentur ipſi Principes ad hoc defendendum, indeque probabiliorem Regaliae originem repeti poſse. De his ſcriptis ſatis dictum. Reſtat ut de illis dicamus, quae ad Calendarium ſpectant, & quae, ſi pauca excipias, nunquam fuerunt in lucem edita. Probaverat jam hac in re omnibus peritiam ſuam Noriſius, editis, uti narravimus, Diſsertationibus tribus in extremo libro *di. Syro-*

macedonium Epochis, & ſcripta an. MDCXCIII. *Cenſura in Octaeteridem Paſchalem* cujusdam auctoris, quem refellendum putavit, quod propoſita ab eo ratio Calendarii emendandi *nec perennis eſſet, neque antiquos Eccleſiarum ritus incolumes ſervaret*. Hoc autem in ſcripto de difficillimis veteris teſtamenti locis, in quibus dierum, menſium, atque annorum mentio fit, & de multis aliis rebus, quae tum in diſceptationem quaeſtionemque vocabantur, copioſiſſime & perite diſſeruit Noriſius. Poſt haec examinare juſsus eſt librum Hiſpani cujusdam aſtronomi, quem Portocarreus Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus ad Sedem Apoſtolicam detulerat. Retulit Noriſius Cardinalibus collegis ſuis male ſubduxiſse calculos Hiſpanum mathematicum, dum in conficiendis Calendarii & Martyrologii tabulis accretionem & diminutionem lunae, & quae inde pendent, ſolemnioſum feſtorum dies notaret. Interim agi coeptum a Germaniae, ut appellantur, Proteſtantibus de recipienda Gregoriana Calendarii correctione, ac ſcriptae litterae a Leibnitio ad Academicos Pariſinos, quid faciendum eſse cenſerent Ger-

nalis in eo, quod pertinebat ad feſtorum mobilium tabulam, quod hanc minime cum ſolis lunaeque ratione congruere contenderetur. Hanc omnem rem Academia prudentiae Jo. Dominici Caſſinii commiſit, qui & ſua ſponte & Lud. XIV. juſſu nihil ſtatuendum ſibi eſſe putavit ſine Apoſtolicae Sedis oraculo: His de rebus Romae diu eſt multumque conſultum, tenuitque ſemper principem locum auctoritatemque Noriſii ſententia. Mortuo Innocentio XII. non minori ſtudio ardere viſus eſt, qui ei ſucceſſit Clemens XI. hujus abſolvendi negotii; & quanquam Noriſio tanquam magiſtro utendum ſibi eſſe diceret, aliorum tamen etiam prudentium hominum; ac praeſertim mathematicorum conſilia exquirere voluit, ex quibus omnibus conſtitit *Congregatio*, ut loquuntur, *de correctione Calendarii*; cujus erat Praefectus Noriſius ipſe; a ſecretis vero ejuſdem civis & amicus Franciſcus Blanchinius. Quaeſitum eſt primo; *an praeſtet in Calendario reponere Epactam* X. *Lilianam pro anno* MDCC. *& ſubſequentes per augmentum juxta continuam Epactarum methodum, prout primum propoſitae fuerunt a Gregorio* XIII. *anno*

MDLXXVII.

MDLXXVII. *ſeu potius retinenda ſit epacta IX. poſtea mutata cum ſubſequentibus eadem methodo ab illa pendentibus; & quatenus reponenda ſit epacta X. ſeu retinenda IX. Quaeſitum ſecundo annon repoſita epacta X. vel retenta IX. ad annum* MDCC. *& conſequentibus, ut ſupra, ſufficienter proviſum ſit rectae diſpoſitioni Calendarii Eccleſiaſtici juxta regulas ad rectum ordinem feſtorum mobilium citra errorem in plura ſaecula deſignandum.* Dum haec quaerebantur, opportuniſſime Romam venit Philippus Maraldius vir aſtronomia omnique mathematica re peritiſſimus, quem non modo, ſed & ejus avunculum Jo. Dominicum Caſſinium per litteras conſuli placuit Summo Pontifici. Retulit Maraldius *Congregationi* jure conqueri Caſſinium ceteroſque aſtronomos quaedam peccaſſe Clavium in conficienda Calendarii emendatione; bene hos errores per Noriſium animadverſos fuiſſe; nec dubitare ſe quin huic malo conſuleretur, ſi illius ſententia valeret. Operae quidem plurimum ſtudiique conſumpſit Noriſius in hujuſmodi diſputationibus, ſed cum obſtarent Jeſuitarum machinationes, tracta adeo res fuit, ut citius mortem, quam il-

lius exitum ipſe videre potuerit. Sed laus eſt homini ea dediſſe conſilia, quae ſi non ex eventu, ex prudentia quidem cuique doctiſſimo fuere probatiſſima. His aliiſque de cauſſis fortaſſe dolebat Noriſius ea effluxiſſe tempora, quibus omnia voluntate & arbitrio Principis, nihil vero ſtudiis certorum hominum fiebant. Quod cum praedicaret de Innocentio XII. non perinde accipi volebat, quaſi is ſapientum conſilia recuſaret; quin immo tanta eum fuiſſe modeſtia dicebat, ut cum experiendo didiciſſet quam arduum, quam periculoſum regendi cuncta onus, plures in partem curarum vocaverit, haud dubitans plures facilius munia Reipublicae ſociatis laboribus executuros. Porro ſapientiſſimus Pontifex quid Noriſio ipſi non commiſit? Quid non cum illo communicavit? Quibus eumdem rebus non ornatiſſimum voluit ampliſſime? Ex his quidem nulla jucundior eidem accidit Praefectura Vaticanae bibliothecae, qui locus ob mortem Caſanatae Cardinalis vacaverat. Cum itaque omnes intelligerent eum vel ingenio, vel gratia, vel fortuna cuivis ſummorum ſuae ae-

tatis hominum eſſe parem, mirum videri minime debet ſi multorum oculi in eum conjecti fuerint, cum de creando ſummo Pontifice, qui ipſi Innocentio XII. ſuccederet, ageretur. Gallorum vero nobiliſſimi, qui hoc tempore Romam venere, ita loquebantur de Noriſio ſicuti de homine celebritate famae notiſſimo, quem omnes de facie noſcere jamdiu concupierant. Tota haec res valde timebatur a Jeſuitis; neque credibile eſt ſpectatores ſe praebuiſſe otioſos comitiorum, quibus Clemens XI. Pontifex Maximus creatus eſt. Huic non minus Noriſius omnia ſua ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem denique omnem conſecravit; & mirabantur omnes tanta illum eſſe diligentia & induſtria, ut cum perquam raro in commentatione cauſſarum adjutrice alterius opera uteretur, & quotidie ferme ad Vaticanam bibliothecam accederet, ac nullis deeſſet officiis, quae ſunt propria dignitatis, temporis tamen aliquid reperiret, quod in ſtudiis, veteribus deliciis ſuis, conſumeret. Sed in eam conſuetudinem, ſeu potius naturam homo ſomni & cibi parciſſimus ve-

nerat, ut per magnam noctis partem lucubrationibus vacaret. Erat enim ei frequens dictum: *hominem, qui nequiret ſtudium meditationemque ad octo ſaltem horas producere, haud multum poſſe inter Litteratos excellere*. Sed tot vigiliae ac labores continui ſenſim bonam integramque valetudinem imminuebant. Neque cum ad mortem ſe rapi ſentiret divelli a ſtudio potuit. Nam rogatus a Pontifice ſententiam de re graviſſima minime ſibi temperavit, quominus de eadem re Diſsertationem ſcriberet. Morbi vero genus, quo diu & graviter extremo tempore tentatus eſt, fuit hydrops, cujus ſigna cum apparuiſsent, hanc ſe removere poſse putavit cibis multo ſale conditis, ſiccis vel calidis liberius indulgens, & modica potione utens. Hoc vitae genus cum teneret, ophthalmia primo laborare coepit, qua depulſa an. MDCC. improbo ventris dolore circa umbilicum fuit correptus, qui in dies excreſcens in manifeſtum ejusdem umbilici tumorem deſiit. Iſtum vir natura patiens & fortis initio flocci fecit, neque a medicis conſilia exquiſivit. Nulla itaque adhibens medicamenta, nihil laborum intermit-

tens vivendi genus priſtinum ſequebatur, quod ni feciſset hydrope ſe certo interiturum affirmabat. Sed hac via celerius in morbum incidit, quem timebat, & quem declinare conabatur: incidit enim in hydropem non humidum, ſed ſiccum, quem tympanitidem medici appellant, qui ſiccorum calidorumque ciborum uſu gignitur, humidis autem impeditur aut extruditur. Tum adhiberi coepta remedia conſilio peritiſsimorum medicorum, ac praeſertim Georgii Baglivii, a quo tota haec res narratur, ſed nihil inde levatus eſt morbus; quin immo cum magis magiſque recrudeſceret, ſubito tanta vis ejus in ventrem erupit, ut confirmata prorſus tympanitide, deſierit in aſcitem. Tumor pedum tandem apparuit vicinae mortis nuntius. Tali modo cum duos & ſeptuaginta annos & ſex circiter menſes compleſset poſt edita ſingularis fortitudinis, patientiae & pietatis in Deum ſigna animam efflavit Noriſius VII. Kal. Martias an. MDCCIV. Exequiae ei cum pompa celebratae fuerunt in Aede S. Auguſtini, ibique cadaver ſepultum cum hac inſcriptione.

FRATRI HENRICO NORIS VERONENSI
ORDINIS AC TIT. S. AUGUSTINI PRESBYTERO CARD.
S. R. E. BIBLIOTHECARIO
AUGUSTINIANA EREMITARUM FAMILIA
THEOLOGO CHRONOLOGO HISTORICO B. M. P.
HENRICO MONUMENTUM INGENS SE SE EXPLICAT ORBIS
PHOENICUM AD LITTUS LITTORE AB HESPERIAE.
INSCRIBUNT TUMULO QUIDQUID DUXERE PERENNI
AERE ARGENTO AURO SAECULA ET HISTORIAE.
NORISIO MINOR EST TITULUS. TU GRANDIOR ESSE
AUGUSTINE POTES PAR TUMULO TITULUS.
OBIIT VII. CAL. MARTII
ANNO AERAE CHRISTI MDCCIV.
AETATIS LXXIII. EX A. D. IV. CAL. SEPTEMBRIS.

Homini, qui maxime floruerat exiſtimatione innocentiae, ingenii & doctrinae, & ornamentis ampliſſimarum dignitatum, haud deeſſe poterant honores. Sed in his decernendis Veronenſes eminere voluerunt, qui non ſolum juſta funerum civi optimo maxima omnium ordinum frequentia, magnificentiſſimoque apparatu ſolverunt, ſed etiam ei ſtatuam in S. Euphemiae Coenobio aliaque mo-

numenta in ampliſſimis urbis locis poſuerunt. Nec minus de vivo optime iidem meriti fuerant, ut ipſe jure gloriaretur eam ſibi obtigiſſe patriam, quae humanitate & doctrina cum nobilioribus Italiae civitatibus contendere poſſet. Nihilo tamen minus, quamdiu vixit, ne quod ſibi publicum monumentum poneretur reſtitit: & illa familiae decora (nam quo tempore Cardinalis creatus eſt, illa inter patricias honorificentiſſimo decreto relata fuit) ſuis magis quam ſibi conceſſa arbitrabatur. Adde, quod ſi ejus familiae originem, & majorum praeclara geſta ſpectes, hoc digna beneficio videbatur. Floruerat enim antiquiſſimis temporibus in Anglia, ac praeſertim in Hibernia, unde cum Cyprum conceſſiſſet, multa ibi pro patria adverſus Turcas fortiter geſſit, quoad inſula capta ſedem domiciliumque ſuum Veronae collocavit. Hujuſmodi migrationes Noriſius ipſe hoc diſticho complexus eſt.

Anglia nos genuit: Cyprias poſſedimus arces;
At Veneto ſedit littore noſtra ratis.

Fuit Noriſius, ſi corporis formam cupis co-

gnoſcere; ſtatura procera, lata fronte, facie longa, vividis oculis, colore ſubfuſco, cute arida & ſicca. Natura erat facilis & comis; verum quemadmodum ſi de ſeriis rebus loquebatur, ſeveritatem adhibere ſolebat, ſi de jocoſis leporem, ſic in vita, quoties res, dignitas, officium, locus & tempus poſtulabat, ejus facilitas cum gravitate, comitas cum ſeveritate jungebatur, ut difficile eſſet intellectu, utrum eum ſui magis vererentur, an amarent. Quod non liberalis, ſed levis arbitrabatur pollicieri quod praeſtare non poſſet, cavebat ne quid temere promitteret, promiſſumque ſic perſolvebat, ut non mandatam, ſed ſuam rem videretur agere. Nunquam vero ſuſcepti negotii eum pertaeſum eſt; qua in re ſuam exiſtimationem agi putabat, qua nihil habebat carius. Uſus eſt familia, ſi utilitate judicandum eſt, optima, ſi forma vix mediocri. Supellex modica; & quamvis non parum liberaliter ſaepe domum Veronenſes ſuos invitaret, multis ac praeſertim egentibus libentiſſime ſubveniret, homines doctrina praeſtantes ad prandium vocaret, ſcimus tamen non amplius quam ſex millia

centuſſium in ſingulos annos ex ephemeride cum expenſum ſumptui ferre ſolitum. Qui cum eo quotidie erant, facile affirmabant neminem ſe noviſſe, cujus animi aciem minus perſtrinxerit ſplendor nominis, minuſque mentis quaſi luminibus, ut plerumque accidit, offecerit altitudo fortunae & gloriae: quare de ſe, ſuiſque ſcriptis raro loquebatur, neque coram ſe haec laudari patiebatur. In ferendis injuriis hoc ſemper cogitavit, ſe haud poſſe veritatem retinere, quin multorum inſidiis objiceretur, & ad omne periculum invidiamque opponeretur. Ceterum nemo illo non tam natura, quam Chriſtianae philoſophiae praeceptis magis propenſus fuit ad obliviſcenda maledicta, omnemque doloris deponendam memoriam. Sed hujusmodi mores virtutesque minime effecerunt, ut ejus inimici in ipſum vel mortuum eſſent manſuetiores. Nam dum eorum poteſtas viguit, nihil intentatum reliquerunt, ut fidem religioſiſſimi hominis in ſuſpicionem vocarent. Ut ex multis indigniſſimis factis pauca commemorem, editus ab iisdem libellus fuit cum hoc titulo: *Theſes Noriſianae, in quibus damnata Janſenii & no-*

vatorum dogmata magno adſcribuntur Auguſtino. Relatum a Decolonia ejus nomen in Bajaniſmi & Janſeniſmi reos.; & nihil non actum a Ravago, qui erat Hiſpaniarum Regi a confeſſionibus, ut per eum, qui in univerſo Hiſpaniarum regno rebus Fidei praeërat, Noriſii nonnulla opera, ac praeſertim *hiſtoria Pelagiana*, & *diſſertatio de V. Synodo Oecumenica* in librorum damnatorum numero reponerentur. Re delata ad Summum Pont. Benedictum XIV. vir ſapientiſſimus & juſtiſſimus excanduit ira, & Jeſuitas cauſſam diſſeminandi diſcordias in illo regno quaerere clamitavit. Ipſe defenſor eſſe voluit Noriſianae cauſſae, & una atque altera epiſtola miſſa ad Generalem, ut vocant, Inquiſitorem, temere atque injurioſe illum decreviſſe de doctiſſimo viro cjuſque ſcriptis, pluribus graviſſimiſque verbis oſtendit. Regi etiam aperuit, quae clam inirentur conſilia a Jeſuitis contra innocentiſſimorum famam, & Decretum pro Noriſio fecit, quod niſi ſervaretur, magnam perturbationem rerum futuram eſſe praedixit (43). Extitere etiam, qui conjuratorum inſidiis & maledictis multorum illuſtrium ho-

minum & Academiarum teſtimonia opponerent, per quae omnis erroris ſuſpicio ab operibus Noriſii propulſabatur, & iniquus calumniator a ſapienti judice diſcerni poterat. Sit diſcordiarum finis aliquando, omneſque libenti animo fateantur, *talem fuiſſe virum* Noriſium (ut Livii verbis utamur) *omnium ſaeculorum memoria digniſſimum, cujus gloriae neque profuit quiſquam laudando, nec vituperando quiſquam nocuit, cum utrumque ſummis praediti fecerint ingeniis* *.

* Ex Hieronym. Prol. l. II. in Oſeam.

OPERA EDITA.

In operibus Noriſii recenſendis minime ſequemur ordinem temporum, quibus illa edita primum ſunt, ſed eorum indicem ſic diſponemus, ut diſpoſita fuere a Petro & Hieronymo fratribus Ballerinis, cum hi, conjuncto labore cum aliis doctis viris, eadem opera in quatuor Tomos diſtributa anno MDCCXXXII. Veronae edidiſſent.

Tomo I.

Hiſtoria Pelagiana.

Diſſertatio hiſtorica de Synodo V. Oecumenica, in qua Origenis ac Theodori Mopſueſteni Pelagianae Scholae doctorum juſta damnatio exponitur & Aquilejenſe ſchiſma deſcribitur.

Vindiciae Auguſtinianae, quibus S. Doctoris ſcripta adverſus Pelagianos ac Semipelagianos a Recentiorum cenſuris aſſeruntur.

Adventoria P. Franciſco Macedo, in qua de inſcriptione libri S. Auguſtini de Gratia Chriſti diſſeritur.

Reſponſiones P. Franciſci Macedi adverſus propoſitiones parallelas Fratris Jo. a Guidicciolo ab Hannibale Riccio collectae.

Confutatio Palinodiae ſub nomine P. Henrici Noris publicatae.

privatorum & de imperiorum fortunis ſententiam ferre; & beatiſſimas illas fore Reſpublicas, a quibus non modo Poetae, ut a Platonis civitate, ſed & caeterarum omnium diſciplinarum, una excepta juris prudentia, cultores pellerentur. Quid mathematici? Nonne ſingulis quibuſque verbis repetunt ſe tantummodo ad lucem veritatis adſpiciendam vocatos fuiſſe, cum cetera omnia plena ſint erroris & inſcitiae: ſibi unice deberi quod phyſica & medicina paullulum erexerint caput; & ad indicium imperii in omnes facultates, & vel in ipſas vitae actiones, omnia complent & implicant calculis, & in omni ſermone uſurpant duplicatas, triplicataſque proportiones, aliaſque compoſitas, & infinitas parvitates, & alia hujuſmodi quam plurima. Nihil dico de iis, qui ſignorum ortus & obitus, acceſſus & receſſus ſiderum, conjunctiones & intervalla aſtrorum obſervant: hi enim, tanquam cum Diis immortalibus continenter habitent, vix ſe ad ceteros homines convertunt, niſi aut iis fata imperioſe denuntient, aut ſtudia occupationeſque ipſorum prae ſuis irrideant. Fac ingrediaris intra cancellos, quos ſibi humaniorum litterarum ſtudioſi circumdederunt, iique tibi videbuntur nullum

habere velle commercium cum illis, quas commemoravimus, facultatibus. Ajunt enim divina myſteria ſummiſſe veneranda, non curioſe inveſtiganda; omnia & vel ipſam dictionem contaminaſſe ſuis ſubtilitatibus Metaphyſicos; Juris conſultum ſibi videri nihil niſi legulejum quemdam acutum, formularum cantorem, ſyllabarum aucupem, & alienarum opinionum recitatorem; nullo modo facilius poſſe animam, ut ita dicam, areſcere, quam mathematicarum rerum ſtudio; phyſica ſyſtemata, non ſecus atque muliebria ornamenta, fere quotannis variare; ridiculum eſſe in caelo quaerere veritatem, quam circa nos, in nobis ipſis reperire non poſſumus; hanc in profundo, ut ajebat Democritus, naturam abſtruiſſe; quapropter ea ſtudia excolenda, in quibus non fruſtra quaeritur utilitas, ſed libera quaedam animi oblectatio; quae in adoleſcentia honeſtiſſima, in juventute optima, jucundiſſima in ſenectute, cum legimus delectant, & cum ſcribimus ſunt neceſſaria. Quorſum haec, mi amiciſſime Marini? Ut breviter iis reſpondeam, qui acerbe a me exigere videntur, ut de iis tantummodo ſcribam, qui in ea, quam ipſi profitentur, facultate excelluerunt, quaſi nihil ſint artes, de quibus exi-

ſtimare non poſſunt. Memini miros edidiſſe riſus in amicorum conventu Phyſicum quemdam, cum me narrantem audiret fuiſſe Philippum Bonarrotium hominem omnino ſingularem, nullamque fore tam immemorem poſteritatem, nullas repertum iri tam ingratas litteras, quae ejus memoriam, non ſecus quam Michaelis Angeli Bonarrotii, Machiavellii, Galilaei, Redii, & Michelii non immortalitatis memoria proſequantur. Sed bonus ille Phyſicus non tam me ridere voluit, quam ſcientiam antiquitatis, in qua ſe exercuit Bonarrotius, quaſi leve quiddam eſſet & nugatorium. Et ſane, ajebat ille, ecquae magna eruditio eſt ſcire, quot navibus Graeci ad oppugnandum Ilium acceſſerint; quot filios habuerit Priamus; Helenam ne rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenae ſimulacrum, ut Euripides prodidit? Quod emolumentum ex iſtorum omnium ſcientia ſperari, quod detrimentum ex ignoratione timeri poteſt? Abeant iſti fabularum magiſtri, nugarum architecti, perfricent frontem, ſi quam habent, pudeatque eos, ſi quando cum Philoſophiae doctoribus conferri ſe poſſe ſperarunt. Placide & ſedate haec & alia multa audivi, & poſtquam nonnulla tetigi ad oſtendendum idonea, quo in ſtatu fuerit ſuperio-

ribus temporibus, & in quo ſit etiam hodie naturae ſcientia, quae commemoranda eſſe putavi: non ad ejuſdem ſcientiae nobilitatem deprimendam, ſed ad hominis retundendam audaciam; poſtquam exemplis & rationibus praeclaram illam veriſſimamque confirmavi ſententiam, quae docet, omnes diſciplinas & artes, quae ad humanitatem pertinent, habere quoddam commune vinculum & quaſi cognatione quadam inter ſe contineri, haec pro mea & Bonarrotii defenſione reſpondenda eſſe judicavi. Sunt profecto in omni ſcientia & arte certi quidam fines, quos ultra haud poteſt rectum conſiſtere; quodque iis minime ſe continuerint plurimi antiquitatis ſtudioſi, merito aut riſum aut ſtomachum commoverunt ſapientibus viris. Sed fac omnes imitari ſingularem prudentiam diligentiamque Bonarrotii, qui ut tuto incederet, nullos alios habere voluit duces niſi ipſa antiquitatis monumenta, num eſſe tum vana, levia, futilia hujuſmodi ſtudia pronuntiare audebis? Haec cognitionem dant fabularum, quae nemo otioſorum hominum commenta appellare audebit, cum ſub eis, velut involucris atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique ſapientia contineatur; eadem Geographiam augent,

notitias ſuppeditant multorum rituum, hiſtoriarum naturalium, & civilium, linguarum, & dialectorum: veterum ſcripta emendant; amplificant atque ornant hiſtoriam factis, perſonis, aliiſque rebus, quas fruſtra in ſcriptoribus quaeras; multorum factorum tempus & ordinem certo ſtatuunt; nonnullorum populorum leges, magiſtratus, & mores explicant; ipſam religionem plurimum adjuvant; & artes eas, quae ad graphicen pertinent, alunt majoreſque faciunt, poſtquam ſaeculo XVI eas ad novam vitam ſumma ingenia revocarunt. Non mihi nunc propoſitum eſt de ſtudiorum antiquitatis laudibus dicere; quod ſi eſſet, facile tibi probare poſſem, omnes fere facultates aliquid ab iis mutuatas fuiſſe. Deſine igitur de Bonarrotio, de ſtudiis, quae tua non ſunt, plura garrire, ni ſimilis eſſe velis Eratoſtheni illi, qui deridetur adhuc, quod Homerum ineptae loquacitatis magiſtrum appellare non dubitaverit. Quam vellem huic amicorum conventui adfuiſſes, mi Marini, tuque ipſe optimorum ſtudiorum, in quibus excellis, defenſionem ſuſcepiſſes. Non enim coram te hiſcere omnino auſus eſſem, ne imitari voluiſſe viderer impudentiam eorum, qui agebant in ſcena geſtum, inſpectante Roſcio. Vale.

Piſis Kal. Jan. MDCCLXXV.

PHILIPPUS BONARROTIUS.

NArraturo mihi vitam Philippi Bonarrotii, hominis in explicandis monumentis antiquitatis prudentia & eruditione prope ſingulari, eadem fortaſſe accident, quae tum accidere, cum ego non diſſimile praeconium Eduardo Corſinio tribuendum eſſe judicavi. Homines enim gloriae vehementius, quam cautius appetentes, quibus audacia in hujuſmodi facultate pro ſapientia eſt, acerbius in me invecti ſunt, quod alteri eas laudes dederim, quas ſibi unice deberi contendunt. Pretio ii conducant quantolibet viliſſimos adulatores, qui voces & ſcripta ſua ad alterius non modo ſenſum & voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum convertere ſunt parati; me certe nunquam habebunt, niſi veritatis amatorem; qua ſi offenduntur, neque eos ulciſci ſtudebo, cum ipſos ſatis mores ſui ulciſcantur, neque ſanare conabor, quod ſciam in ſuperbia levitateque animi pertinaciam innaſci atque enutriri. Itaque ad rem propoſitam veniam. Philippus Bonarrotius na-

tus

tus eſt Florentiae XIV. Kal. Decemb. anno MDCLXI. clara & illuſtri familia, de qua plura dicere minime eſt neceſſe, cum Philippus ipſe de ea ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam commentariolum ſcripſerit, quod eſt in manibus hominum (1). Parentes illi fuerunt Leonardus Bonarrotius, & Junipera Martellinia, ſoror Jacobi Martellinii, qui cum eſſet non modo doctrinis phyſicis, quas a Galilaeo acceperat, ſed etiam Graecis Latiniſque litteris inſtructus, harum amore Philippi animum cito inflammandum curavit. Etenim in eo mirum apparebat ingenium, quod cum eluceret quotidie magis, parentes illius e re ſua fore arbitrati ſunt, ſi ipſum, poſtquam fruſtra tentaſſent ad argentariam faciendam, Juris prudentiae deſtinaſſent. Et huic facultati quidem haud mediocriter, quamvis invita, ut ajunt, Minerva, ſtuduit Philippus, & huic plurimum ſe debere putavit, quod, ut in ea & per eam ad honorum aditum procederet, Romam miſſus fuerit. In Urbe enim

(1) Extat in fine vitae Michaelis Angeli Bonarrotii, quam Condivius ſcripſit, quaeque edita eſt Florentiae an. 1746. a Cajetano Albizzinio.

quondam terrarum domina tot ſunt reliquiae antiquitatis, tot monumenta priſtini imperii, ut quacumque ingrediaris, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponas, atque ad eam plenius cognoſcendam vehementer te accendi ſentias. Atque hic ſenſus vehementiſſimus eſſe debebat in homine, cui natura tale tribuerat ingenium, ut non ſolum res obſcuriſſimas illuminare, ſed quaſi fundamenta quaedam ſcientiae jacere poſſet. Itaque non eſt credibile, quantum ex commoratione Romana fructum ceperit Philippus, cui fortunate ſane evenit, quod non ſolum foris, ſed etiam domi haberet ſubſidia, quibus ingenio ſuo plane ſatisfacere poſſet. Habitabat enim in aedibus Gaſparis Carpinaei Cardinalis, qui eum muſeo ſuo, atque bibliothecae praefecerat, cum ejus opera uteretur eodem tempore ad cauſſas cognoſcendas. Renuntiavit aliquando Bonarrotius Martellinio cariſſimo avunculo ſuo, quam lauta & copioſa ſupellex omnis generis monumentorum, ſed praeſertim numiſmatum maximi, ut appellant, moduli ornaret Cardinalis muſeum; qua re factum eſt, ut ad horum numiſma-

tum indicem conficiendum ejus vocaretur conſilio. Hunc ita confecit, ut avunculi deſiderium explere omnino potuerit; tanta erat opportuniſſimarum obſervationum copia, qua ſingula illuſtrabat numiſmata. Sed qui ceteris cumulate, non facile ſibi ſatisfaciebat. Itaque recepit avunculo ſe meliora perfecturum: & porro opus texuit luculenter, quo nullum in hoc rerum genere neque eruditius, neque prudentius, quodque doctiſſimus quiſque, ut merito de illo judicavit Bandurius (1), ſuum eſſe vellet. Supellectilem explicat ſane ſumptuoſam atque multiplicem, ſed non more harum rerum ſcriptorum, qui obruunt copia, & qui multa afferunt, quae magna ex parte detrahi velles. Nihil apud hunc nimium, nihil longe petitum, nihil vulgare; omnia opportuna ac neceſſaria, omnia fere recondita. Interpretatur quorſum quidque pertineat, ſed ita, ut in ſumma diligentia vitet faſtidium, nunquam non adhibens plenum acuminis ingenium, plenum prudentiae judicium; nihil plane affirmans, quin certiſſimos ex omni antiquitate producat te-

(1) Bibliot. num. p. 223.

ſtes, & quaſi ſubſcriptores ſententiae ſuae. Si quid vero ſibi non ita firmum videtur, de eo dubitans, & plerumque ſibi ipſe diffidens ſententiam ſuam exponit. Verum non immerito dixeris dubia & conjecturas Bonarrotii pluris eſſe debere quam multorum demonſtrationes (ut ipſi autumant) & oracula. Quoniam vero neceſſe illi fuit in toto opere nonnullorum ſcriptorum convincere errores, ita ſe geſſit, ut ipſa per ſe veritas nec magis blande, nec perſpicue magis cauſſam ſuam defenſura videatur fuiſſe. Ut vero ex immenſo campo nonnulla notanda ſeligamus, quanti aeſtimanda ſunt illa, quae plurium Graecarum civitatum geographiam, jura ac privilegia declarant atque illuſtrant! Horum praecipua ſunt, quae ad Silandeos, & Aureliopolim pene incognitas urbes pertinent; quae probant Tarſum, aut nunquam, aut ſaltem temporibus Paulli Apoſtoli municipium, vel coloniam Romanorum non fuiſſe; quae exponunt, unde ſit orta Heraclea Ponti, aliaeque hujus nominis urbes; quae demum probant Apameae Phrygiae dignitatem atque amplitudinem. Optime quoque &

rationi temporum conſuluit, & hiſtoriae Caeſarum, quarum rerum obſcuritati multis in locis potuit mederi. De ritibus vero, diſciplina & juribus plurium civitatum, de Deorum cultu, de ludis, de diebus feſtis, de quibuſdam magiſtratibus, quae & quanta optimo in lumine collocantur! Nulla fortaſſe de re tantopere antiquitatis ſtudioſi diſſenſerant, quam de Neocoris, quorum opiniones cum tam variae ſint, tamque inter ſe diſſidentes, ſuam quamdam in medium attulit Bonarrotius. Putat enim Neocoros minime ad templa, Deoſque, ſed unice referri debere ad dies feſtos, & publicos ludos; qui a civitatibus in honorem Caeſarum celebrabantur. Hos vero, & interdum etiam Senatum, aut unici, aut duplicis, aut triplicis, aut majoris etiam Neocoratus titulo decoraſſe civitates, non per vices, ſed uno eodemque tempore, neque ex voluntate, ſed prout res ipſa poſtulabat. Major enim Neocoratus majorem celebritatem, majoremque ſpectaculorum numerum deſignare debebat. Praeter haec nihil ſane conſtitui poſſe videtur, quod non incurrat in maximas difficul-

tates; quare laus erit Bonarrotii haud mediocris, aut veriorem, aut saltem veriſimiliorem in re obſcuriſſima protuliſſe opinionem Cur vero poſt Gallieni tempora in numiſmatibus nulla amplius mentio fiat de civitatum Neocoris, id ipſe duplici potiſſimum cauſſae aſſignandum putat, vel quod hujuſmodi privilegia ſummis cum infimis facta communia viluerint, vel quod omnes fere civitates quondam ſibi proprio aut jure, aut privilegio cudendi nummos ſpoliatae fuerint. Sic peragrat Bonarrotius per varias quaeſtiones, ut ſemper illius judicium & acumen admirari debeamus: adeo felix eſt in emendandis ſcriptorum quorumdam corruptis locis, atque difficillimis enodandis, ut neſcias plusne ab iis auctoribus hauſerit luminis, an contulerit in eoſdem: adeo ſcienter judicat de iis rebus, quae ad graphicen pertinent, ut Michaelis Angeli Bonarrotii nepotem facile agnoſcas; adeo denique delectat multarum rerum jucunda quadam varietate, ut dubitari non poſſit, quin ſit boni monumentorum antiquitatis explicatoris multa vidiſſe & noviſſe, multa animo & cogitatione, immenſa legendo percurriſſe, ne-

que ea, ut aliena, libaſſe, ſed ut ſua poſſediſſe. Extremo in libro explicavit ſingulari artificio elaboratum anaglyptum, in quo expreſſus eſt Bacchi triumphus; nihilque illuſtrius eſt hujuſmodi explicatione ad illius Numinis fabulam bene intelligendam. Hoc opus ſtatim ac in lucem prodiit, latiſſime dimanavit ad exiſtimationem hominum. Falſo autem memoriae traditum eſt majores plauſus excitaſſe *Collectanea monumentorum veterum Eccleſiae Graecae ac Latinae*, quae eodem tempore in vulgus protulerit, ſuiſque adnotationibus illuſtraverit Laurentius Alexander Zaccagnius. Sunt enim multi, qui putant, hos duos viros in poſtulanda Vaticanae bibliothecae Praefectura competitores fuiſſe, & contendiſſe non tam gratia, quam ſcriptis; fuiſſeque Bonarrotium victum a Zaccagnio, quod hic majorem intelligentiam, & uſum Graecae linguae, Graecorumque codicum omnibus probaverit (1). Quod dictum quantum aberret a vero, ex eo judicari poteſt, quod Zaccagnius Praefectus declaratus fuerit ineunte anno

(1) Lamius Memorab. Ital. Tom. I. in vita Bonarrotii; Mazzucchel. in ejuſdem vita.

MDCLXXXIV. quindecim ante annis, quam Bonarrotius ſuum de numiſmatibus opus vulgaret, quo tempore nondum eum Florentia deceſſiſſe inclinat animus ut credam. Habuit quidem tum competitorem Zaccagnius Sperellum Sperellium, cui anteceſſere doctrinae copia, & ingenii laude judicatus fuit (1). Quanto majores erant plauſus, qui dabantur Bonarrotii ingenio atque eruditioni, tanto iniquior videbatur eſſe fortuna, quod praemia, quae vel hominibus vulgaribus & vel dormientibus Romae praeſertim deferre ſolet, huic uni maligna denegarit. Porro ſi eſſet habenda ratio praemiorum, ex omnibus amplissimum eſſe videri poteſt gloria: ſed ipſa per ſe ſola haud magna res eſt; & nihil indignius, & miſerius doctorum hominum indigentia. Huic ut ſubveniret Bonarrotius libenter ceſſit, aut potius paruit auctoritati Coſmi III. Principis ſui amantiſſimi, a quo Florentiam revocatus eſt, ne tanta virtus in aliena peregrinaretur civitate. Id quoque cauſſae illum revocandi fuiſſe puto, quod Coſmo vehementer curae erat, ne ſa-

(1) Creſcimb. Vol. II. *dei Commentarj della volgar Poeſia* in elogio Card. Sperelli.

miliae Etruſcorum extinguerentur, quae maximis viris floruiſſent, quarum in numero certe erat Bonarrotia. Et quidem primi ſermones, quos Coſmus cum Philippo habuit, fuerunt de ducenda uxore, videbaturque etiam certam illi feminam deſtinaſſe. Verum ſive quod hujus genus nobilitate minime exaequaretur Bonarrotiorum generi, ſive aliae ſubeſſent cauſsae veriores, Philippus conſilio Principis uti noluit, deque amici cujuſdam ſententia repente convolat Senas, adit nobiliſſimam puellam Fauſtam Malevoltam, quae ruri habitare conſueverat, & quamvis illam minime commendaret locuples dos, oriſque pulchritudo, ſecum tamen matrimonio libentiſſime conjunxit. Jucunditatem matrimonii turbarunt aliquando privatae querimoniae. Nihilo tamen minus ex ea filium & filiam ſuſcepit, quae dulcedinem vivendi in ſtudiis plurimum illi auxerunt. Beneficia vero, quae a Coſmo habuit, ſatis declarant, nullam de illius erga ſe benevolentia factam eſſe diminutionem, eamque ut conſervaret, obtinuit praeſertim diligentia ac fidelitate in exequendis graviſſimis muneribus, quorum ſibi fue-

rat commiſſa procuratio. Principio ſecretarius, ut loquuntur, ejus curiae, cui ab reformationibus nomen eſt, itemque Senator dictus; poſtea Eccleſiaſticis negotiis pro Principe praefectus. Quod munus quanti momenti ſit, ii porro norunt, qui ſciunt, quantum interſit modum imponere imperiis, quamque difficile ſit, quod nimium eſt, temperare, & ſaepe etiam conciliare contraria. Non dubito, quin antiquitatis cognitio plurimum profuerit Bonarrotio in exequendis iis, quae ſui muneris erant; neque in nugatorem quemdam, tanquam in aliquem teſtem invehar, quod affirmaverit illum fuiſſe minus aptum ad id, quod commiſſum erat, gerendum. Quanquam enim plurima deeſſent argumenta, quae illum erroris, aut potius malevolentiae convincunt, ſatis tamen eſſet auctoritas ampliſſimi viri Julii Oricellarii, qui quaſi alumnus diſciplinae Bonarrotii in locum illius ſucceſſit, quique ſaepe mihi teſtatus eſt, nunquam eumdem defeciſſe aut voluntatem, aut ingenium ad recte Principis negotia procuranda. Dum in urbe adminiſtratio reipublicae inexplicatum & conſtrictum tenebat Bonarrotium, ſtudia antiquitatis ne obſo-

leſcerent renovabat legendo. Cum vero ei paullulum laxamenti dabatur, rus concedebat, quo liberius non ſolum lectioni, ſed ſcriptioni etiam vacaret. Et quoniam ingreſſus erat monumenta illuſtrare, quibus exornabatur muſeum Carpinaeum, poſtquam profanae antiquitatis amatoribus numiſmatum explicatione fecerat ſatis, ſacra tractanda ſuſcepit, explicans fragmenta illa vitreorum vaſorum, quibus ad ſignanda diſtinguendaque ſepulcra veteres Chriſtiani uti conſuevere. Exhibent illa coloratas figuras, quas in imis poculis mos erat ipſis Chriſtianis caelare, & quamvis antiquiſſimo ſint artificio (ad ſecundum enim aut ad tertium Eccleſiae ſaeculum illa pertinere graviſſimis adductus argumentis judicat Bonarrotius) nulla tamen elegantia commendantur. Etenim hanc videbantur contemnere religioſiſſimi viri, quibus unice erat propoſitum ſanctiora religionis myſteria, facta, ac ſymbola ante oculos ſuorum ponere, quo magis virtutis amorem in eorum animis inflammarent. Venerandas haſce reliquias eo libentius aggreſſus eſt explicare Bonarrotius, quod ſtudia ſua magis condu-

cere putavit tum ſapientibus ad imitandos ſummos viros, tum curioſis ad indicia veteris memoriae cognoſcenda. Et ſane quid ejus aut diligentiam ſubterfugit, ut non notaverit, aut eruditionem, ut non ſit commodiſſime interpretatus? Neceſſe erat declarare ad probandam antiquitatem hujuſmodi vitrorum, quae litterarum formae, atque ductus primoribus Eccleſiae ſaeculis in conſuetudinem veniſſent, idque ſic praeſtitit in praefatione libri, ut ſupplere voluiſſe videatur inſigne Mabillonii opus *de re Diplomatica*. Inter reliqua certiſſimis argumentis probavit tum majuſculis litteris, tum minoribus eum ferme in modum formatis, quem nos dicimus *corſivo*, ad ſcriptionis commoditatem celeritatemque uſos Romanos fuiſſe, qua de re plurimum laudatus eſt a Maurinis rerum diplomaticarum ſcriptoribus (1). Aliis etiam in operis locis ſermonem habuit de variis apud veteres ſcribendi modis, & de illo in primis certe antiquiſſimo, quem Graeci appellant βουςροφηδὸν; odorantique omnia diligentiſſime nunquam non deſunt aut certa argumenta, aut

(1) T. II. p. 623.

probabiles conjecturae ad illuſtrandam veritatem. Nihil notius, quam Chriſtum Jeſum ſaepe repraeſentatum fuiſſe ſub Paſtoris forma. Plures hujuſmodi imagines ſe ſe offerunt Bonarrotio, qui ſuo more omnia quaerens, excutiens, atque enucleans, ubi ceteri vix pauca notatu digna animadvertiſſent, ipſe plurima & notat, & in medium affert. Libet exempli cauſſa commemorare quae de paſtorum multiplici & veſtitu & cinctu diſſeruit, quaeque e media antiquitate petita attulit de faſciis cruralibus, de mulleis, quod erat calceamenti roſtrati genus, de duplici paſtorali baculo, & duplici quoque vaſe ad lac continendum, ceteriſque hujuſmodi rebus ad agreſtem vitam pertinentibus ſcitu digniſſimis. Nec communia ſunt illa, quae profert de pallio, ejuſque uſu apud Chriſtianos, de variis tunicarum ſpeciebus, de toga, & quae ei ſucceſserunt, lacerna ac penula, de ſtola, de origine ſacrarum veſtium, & de ſabano, quo recens baptizati tegebantur. Aliud etiam illuſtrat veſtimenti genus, quo certis in regionibus, antequam luſtrales aquas ſuſciperent, novi Chriſtiani homines tegebantur;

cujus ex ignoratione omnes fere Tertulliani explanatores reprehendendi ſui copiam fecerunt. Omnino perpaucos ſcriptores inveneris, qui de re veſtiaria, omnique fere cultu illius aetatis, qua Eccleſiae velut infantia continetur, magis quam Bonarrotius, certa protulerint, & magis feliciter apteque obſcura multa illuſtraverint. Originem diadematis illius, quod nimbum dixere veteres, apud Aegyptios reperit, ejuſque uſum apud Romanos declarat. Quod autem ad Chriſtianos pertinet, minime dubitari poſſe ait, vel ante Conſtantini tempora ipſos hoc ornamenti genus Chriſti imagini addere conſueviſſe. Ineunte vero ſaeculo V. dediſse quoque Angelorum figuris; dein ab VII. cum Evangeliſtis, cum animalibus, quae iis tanquam ſymbola tribuuntur, nec multo poſt cum Apoſtolis communicaſſe; denique omnibus, quos in Divorum numero ſancte colimus, commune feciſſe. Hoc ipſum ornamentum, quod diu proprium Caeſares habuere, paullo poſt tempora Iconomachorum renuiſſe illos apparet, ne caeleſtibus exaequari velle viderentur. De Magis ea ſcribit, per quae docemur, vel ab antiquiſſimis tem

poribus in more fuiſſe Chriſtianis eorum pingere imagines; non deeſſe argumenta, quibus duos, vel tres (quod magis probabile videtur) numero eos fuiſſe convinci poſſit; deeſse vero omnino ad probandum eoſdem fuiſse aut Reges, aut ſtirpe regia prognatos; & veſtimenta, quibus indutos ipſos exhibent vetuſtiſſima monumenta, qualia ſunt in primis longa quaedam femoralia *Saraballa*, aut *Sarabara* dicta, palliolum, & pileum Phrygio ſimile, Aſiaticorum propria & perpetua fuiſſe. Quae dum exponit Bonarrotius, modeſtiſſime quidem emendat locum quemdam interpretationis, quam Zaccagnius in vulgus edidit, de Manete, ejuſque cultu & veſtitu; ex quo nonnulli conjicere ſe poſse falſo putarunt, neſcio quid invidiolae inter hos duos viros exortum fuiſse, cum Bonarrotius ſe relictum, Zaccagnium autem evolaſse doluiſſet. Si quis vero in hac emendatione ſe agnoſcere Jo. Antonium Salvinium exiſtimabit, ab eo ſane non diſsentiam, cum conſtet in iis rebus, quae ad Graecorum interiores litteras pertinebant, ſaepiſſime Bonarrotium ad opem illius confugiſse. Narrarem etiam quam ali-

quando ſecutus ſit viam, ut ipſum ad uſus ſuos promptiorem haberet, niſi digniora, quae memoriae prodantur, occurrerent. Quod vero Bonarrotius interdum Salvinium, alioſque doctos homines conſuluerit, & quoſdam alios adhibuerit ad explicanda cogitata ſua, non propterea juſtam illum accuſandi cauſſam ſe habere exiſtimabunt malevoli. Nunquam enim interdictum fuit, ne ſummis viris liceat adjutores adſciſcere induſtriae ſuae, praeſertim ſi haec tanta eſſe debeat, ut unus homo illi ſufficere non poſſit. Cogitur porro quiſque admirari & ſtupeſcere, praeter ſingulare acumen & judicium, quod ſemper eminet in Bonarrotio, immenſam eruditionis copiam, qua omnia illuſtrat & ornat; & ſexaginta volumina manu exarata, quae ipſum reliquiſſe teſtatur Lamius (1), erant quidem lautiſſima ſupellex, neceſſaria tamen ad id, quod ſibi propoſitum erat, perficiendum. Nam ſi quis vel leviter percurrat opera Bonarrotii, ſtatim judicabit ſine notitia omnium fere rerum, quae ſunt nobis Graecis, Latiniſque litteris traditae, illa ſcribi non potuiſſe.

(1) Memor. Italor. Vol. I. p. 13.

ſe. Eum vero ad ſtudia antiquitatis ex omnibus maxime natum aptumque fuiſſe, illud argumento etiam eſt, quod omnia poſita ante oculos ejus eſſe viderentur, ut rem cum re conferret; quodque nihil negligere ſoleret, adeo ut quae minuta & minima plerisque videri potuiſſent, cum in manus illius inciderent, uberes ſuppeditarent fontes artis & ſcientiae. Cui enim ſuſpicio oboriretur ex rudibus illis ac vilibus cyathorum fragmentis tantam tamque uberem rerum lectiſſimam ſegetem enaſci poſſe? Neque modo eas dico, quae rem chriſtianam illuſtrant, ſed eas praeterea, quae in reliquae antiquitatis fines excurrunt. Etenim in iis monumentis nonnulla ſunt ad profanos, atque adeo ad Paganos pertinentia, quibus inter ſacra dandum eſſe locum idcirco putavit Bonarrotius, quod ad horum antiquitatem comprobandam eſſent opportuniſſima. Ex his unum expreſſam habet Amoris & Pſyches fabulam, de cujus origine & ſignificatione poſtquam ſatis multa protulerit, quaerit cauſſam, cur, cum efficta illa fuerit ab antiquiſſimis temporibus, vel ante Romanum imperium, ipſam tamen

ſilentio tranſierint veteres ſcriptores. Nam primus, qui de ea re ſcripſit, fuit Apulejus, qui vixit circiter M. Antonini tempora. Non dubitat Bonarrotius, quin haec fabula tradita fuerit myſteriis, quae aperire olim nefas putabatur. Poſterioribus autem temporibus, quibus ſuperſtitio hominum mentes minus occupabat, tanta religione ſe obſtrictos eſſe haud exiſtimarunt ſcriptores; hinc factum eſſe, ut Apulejus non de Amore ſolum & Pſyche, ſed etiam de Iſide, Lucianus de Dea Syria, Plutarcus de Iſide atque Oſiride libere ſcripſerint. Sunt & aliae fabulae aliis in vitris expreſſae; nec fabulae modo, ſed & illuſtrium virorum imagines, unde occaſionem oblatam ſibi Auctor putavit ad morem declarandum, qui vetuſtiſſimis temporibus viguit, ut Principes, aliique celeberrimi viri ſub alicujus Numinis forma pingerentur. Haud pauca etiam exponit de ludis Circenſibus & Capitolinis, quod pictae eſſent imagines aurigarum, qui iiſdem in ludis victoriam vicerant. Omnia vero haec vitra, quae vel religionem prae ſe, vel ſuperſtitionem ferunt, illud habent commune, ut inſervierint

conviviis, quod aperte indicant convivales acclamationes in plerisque eorum inſcriptae. Eam ob rem neceſſe fuit Bonarrotio haud pauca recondita de menſis veterum in medium proferre. Idem quaſi feſtivum acroama, ne ſine corollario de convivio diſcederent ſui Lectores, attulit extremo in libro explicationem trium dypticorum eburneorum, quae habere in manibus potuit. Horum in altero efficta eſt Romuli ἀποθέωσις; alterum deſtinatum fuiſſe videtur memoriae illius diei conſecrandae, quo die Baſilius ſub Juſtiniano Caeſare Conſul declaratus eſt (nam inter convivia, quae ornare ſplendide atque magnifice, ludis publicis commiſſis, ſolebant Conſules, aliique Magiſtratus, dono dabant illuſtrioribus convivis hujuſmodi dypticha) tertium demum Chriſti in cruce ſuffixi, aliaſque ſacras imagines repraeſentat. Maximi aeſtimanda eſſe haec monumenta, ait Bonarrotius, tum ob eorum raritatem (ſeptem enim tantum commemorat, quae ad illum uſque diem vulgata fuerant, praeter ea, quae illuſtrat) tum ob notitiam antiquitatis, quae ab iis, tanquam

ab uberrimis fontibus, hauriri potest. Quod cum, illo in primis monente ac denunciante, alii docti viri intellexiſſent, nulli pepercerunt induſtriae, quo plura haberemus hujuſmodi dypticha, eruditiſſimaſque eorum explicationes. Sed nolo plura de praeſtantiſſimo hoc Bonarrotii opere; non quod illud pro dignitate me laudaſſe putem, ſed quod rerum modus a narratore praeſertim tenendus ſit; quodque alia ejuſdem Auctoris ſcripta, ipſa quoque laudibus digniſſima, ad ſe nos evocent. Ex omnibus operibus, quae Thomas Dempſterus poſt ſe reliquit, illud omnium maximum merito exiſtimatur, in quo colligere ſibi propoſuit (non omnia tamen collegit) a ſcriptoribus tradita de antiqua Etruria. Opus hoc, quod Florentiae typis impreſſum fuit anno MDCCXXIII. & eo qui ſecutus eſt, excitavit homines non ſocordes ad veri inveſtigandi cupiditatem. Res enim nulla erat, de qua tantopere docti atque indocti inter ſe diſſentirent: in qua opinionum varietate, tentare quoque voluit Bonarrotius, num ipſe poſſet certi aliquid ſtatuere. Id vero ad duo hominum genera

pertinebat, quorum alterum clamitabat latere iſta omnia craſſis occultata & circumfuſis tenebris, adeo ut fruſtra in iis inquirendis teratur tempus; alterum erat eorum, qui rem illam perfici quidem poſſe ſperabant, nondum tamen viam perficiendae ejus ac rationem tenebant; ſicque duplicem laboris ſui fructum expetebat, ut alteros reprehendiſſe poeniteret, alteri ſe didiciſſe gauderent. Quo vero poſſet ad id, quod volebat, pervenire, non alios duces habere voluit, niſi monumenta ipſorum Etruſcorum; quae quidem talia erant, ut novitate non magis, quam pulchritudine rerum deberent omnes ad ſe contemplanda excitare. Mirum vero potuiſſe Bonarrotium tantam horum monumentorum copiam colligere, ut opus Dempſterianum de *Etruria Regali* (ſic enim inſcribitur) centum fere aeneis tabulis eleganter inciſis auxerit. His adde minores tabulas, quas attulit non ſolum ad uſus ſuos (nam & ipſae res Etruſcorum repraeſentant) ſed etiam ad ornamentum principii & finis librorum; quem morem ab ipſo primum inductum alii poſtea laudibiliter ſervarunt. Illas priores tabulas

ita diſtribuit, ut iis eſſet non ſolum idem ordo, ſed etiam locus rerum, quas tractaverat Dempſterus. Cum hic igitur ſui operis initium duxerit a religione Etruſcorum, in hanc etiam inquirere primum debuit Bonarrotius. Mirabile fortaſſe quibuſdam videbitur Etruſcos eadem primaria Numina, quae Graeci & Latini, coluiſſe, & multas cum iis habuiſſe fabulas communes. Nam eamdem fere, quam eae gentes, habebant opinionem de Jove, Junone, Minerva, Hercule, Apolline, Mercurio, & Baccho, aliiſque ad Bacchanalia, & Orgia ſpectantibus. Venerem etiam eos agnoviſſe putat Bonarrotius, ſed in dubium id revocari poſſe videtur. Quod ad fabulas attinet, non ignorarunt certe, quae pervulgata ſunt de Chimaera & Bellerophonte, de Centauris, de Meleagro, de Caſtore & Polluce, de Cerere & Proſerpina, de Circe & Ulyſſe. Et quidem in eorum monumentis ſaepe expreſſum Ulyſſem cum Sirenis conſpicimus, quam fabulam ab Etruſcis ſumpſiſſe Homerum auctor eſt Strabo. Ad haec hiſtorias, Numina, & monſtra ceteris populis ignota habebant, & quan

doque etiam, quae ſibi cum aliis erant communia, propriis additis inſignibus, repraeſentabant. Hinc alata Numina (divinum enim quiddam per alas ſignificari ii voluere) hinc ferales Deae, faces ferentes, & alis vel in humeris, vel in capite inſtructae. Deorum imagines plerumque haſtis donabant, ornabantque etiam inauribus, armillis, monilibus, torquibus, hiſque inſignioribus. Ut erant Etruſci religionibus dediti, ſic magna caerimonia ab iis ſacrificia fiebant. Ad cantus, & tibicines perſequebantur laudes Deorum, & inter ſacra ſaepe etiam choreas ducebant. Pro victimis homines aliquando ab ipſis immolatos fuiſſe putat Bonarrotius, ſed monumentum, ex quo id deducit, viſum eſt non nullis pertinere ad ſacra mithriaca, quae erant apud eoſdem in uſu, in quibus non caedes fiebant, ſed mortis minae ac terrores jaciebantur. Sed hoc etiam falſo, ut reor, judicio, etſi in eam opinionem, conjunctis veluti ſententiis, duo invicem adverſarii ſcriptores devenerint, Gorius & Maffejus. Funera erant magnifica & ſumptuoſa, & ſaepe in iis etiam gladiatores adhibebantur. Conjicit Bonarro-

rius gladiatorum ſanguine ſepulcra ab Etruſcis fuiſſe reſperſa, quo vel Deos inferos, vel monſtrum quoddam mortis figuram ſignificationemque (quod Voltam dixere) placarent. Non interire animas, ſed aut beatas aevo ſempiterno frui, aut a furiis facinorum & ſceleris vindicibus cruciari putabant. Hae furiae alatae plerumque exprimuntur ardentibus taedis, capillis pene ſolutis, ſubligaculo albo, lato clavo purpureo diſtincto, quod vittae flavae, vel aureae cingulum ſuſtentat, purpureis brachialibus, iiſque reticulatis & caligis violacei coloris (feralis ſcilicet) a pedibus ad medias uſque tibias: quanquam haec, quae ad colores pertinent, raro in urnis videas, vel obliteratis vetuſtate coloribus, vel nunquam adpictis. Beatam vitam indicare exiſtimat Bonarrotius imagines in operculis urnarum jacentes in lectulis, duplici redimitas corona, plerumque ſimplici, eodem modo, quo in conviviis accumbere conſueverunt. Atque a primo quidem integra mortuorum corpora in cryptis tumulabant; poſtea morem induxere cremandi cadavera, & cineres in parvis urnis recondendi, quas item

in cryptis collocabant. Urnis inſcriptiones breviuſculas addebant, & plerumque conſpicari licet in earum operculis tum ex marmore, tum ex argilla imagines virorum, vel mulierum, ad quos pertinebant, jacentium, vel dormientium ſpecie collocatas. In fronte vero, & ad latera urnarum ſpectantur praelia, gladiatorum concertationes, ſacra feralia, arma, & alia vel defunctorum res geſtas, vel funebres ritus, vel fabulas indicantia. Nec magis ſuperſtitioſa religione inſignes, quam militari diſciplina nobiles Etruſci fuere. Eorum monumenta ſatis declarant uſos illos fuiſſe thoracibus varie ornatis, tunica ſubarmali, eademque ſuccinta & verſicolore, ſagis, quibus induebantur ſupra thoracem, nunc anguſtis, nunc amplioribus, fibula plerumque in pectore, raro ſupra humerum colligatis. Spectantur etiam milites brevibus ſagis induti, binis in utroque humero bullis ad veſtem ſubnectendam; aliquando tunica cincta & ſago, vel ſolo ſago, vel prorſus nudi, unica excepta galea. Galeae aut pellibus, aut metallo conſtabant. Clypei rotundi & ampli, iique ſaepe aut picti aut cae-

lati. Binos viros brachiis ad talos productis, tunica prolixiore, & ſago villoſo indutos, & capite pileum more barbarico geſtantes Gallos exprimere putat Auctor pacem ab Etruſcis petentes. Haſtae cum mucrone, arcus ſagittis inſtructi, ſecures, & praecipue gladii ferro, aut aere longiuſculo tranſverſo paullo infra manubrium ſaepe muniti, quos vel cingulo, vel balteo ad latus ſiniſtrum ſuſpenſos gerebant, propria erant arma Etruſcorum. Temporibus iis, quibus rei militaris rudes erant, ſaxis, facibus, & praegrandi unco, qui hoſtibus impingebatur, ipſos uſos fuiſſe apparet. Anchora eorumdem inventum, aliaque argumenta nos convincunt, fuiſſe navalis militiae ſatis peritos, quos etiam conchae marinae uſus docuit fortaſſe, ut marinas quoque buccinas fabricarent plures in flexus convolutas. Magna pompa triumphos ducebant, qua re una maxime ceteros ad virtutem accendi putabant, peractoque triumpho & ſacrificio, ludos & ſpectacula cum conviviis edebant. Ad exercendum corpus venationi dabant operam, in qua praeſertim adhibebant canes, & accipitres vena-

ticos, aut aquilas. De veſtibus Etruſcorum ultra diſſerit Bonarrotius, per quae exploratum habemus, ſuos ab iis magna ex parte eſſe imitatos Romanos. Supra tunicam geſtabant pallium, vel togam, ita ut dexter humerus & brachium eſſet expeditum. Arbitratur tamen Auctor antiquiſſimos Etruſcorum ſola toga contectos tunicis caruiſſe; etſi monumenta, quibus haec innititur conjectura, ad ſponſos, vel ad diſcumbentes in conviviis, alioſve, quos expeditiores eſſe decebat, fortaſſe pertinent. Feminae tunicis longiſſimis, & infra papillas cinctis utebantur; his ſuperponebant pallam, ſeu pallium, quod aliquando etiam capiti circumvolvebant, niſi ſi forte illud parvo veluti pileolo opertum haberent. Multi vero erant ornatus mulierum, quos ſingulos commemorare nimis longum eſſet. Nuptiae celebrabantur ante oſtium domus clauſum, quod poſtea, ipſis confectis nuptiis, aperiebatur. Aderant & mulieres cum facibus Numina Inferorum repraeſentantes, ad ea, ut credibile eſt, deprecanda, ut placata & propitia eſſe vellent ſponſis, vel conjugum umbris. Ita accubuere in con-

viviis Etruſci, ut non ſolum caput coronis redimiverint, ſed coronas ante pectus pendentes geſtaverint; ante potionem parum vini vel in menſam vel in terram effundebant, eoque ritu ſacrificium convivale peragebant. Quare minime eſt mirandum, ſi imagines in urnis jacentes ſaepe pateras dextra manu tenere ſoleant. Iidem in arte muſica excelluerunt, & praeter inſtrumenta Graecis Latiniſque communia quaedam etiam propria habuerunt. Ad muſicos modos viri mulieresque ſaltabant, quae interdum erant perſonatae in modum Baccharum, & Faunorum. Non deerant hiſtriones, pugiles, gladiatores: & ipſos Circenſes ludos ab Etruſcis Romani accepiſſe videntur. Diligentiſſime ea perſequitur Bonarrotius, quae ad graphicen pertinent, quam artem in Etruria maxime floruiſſe probant in primis ſigna quaedam antiquiſſimo opere, & artificio ſummo perfecta. Anaglypha fictilia in urnis cinerariis expreſſa, & coloribus tecta, fuiſſe prima picturae fundamenta, ac veluti incunabula, idem ſuſpicatur. Quamvis picturae Etruſcorum careant lumine & umbris, & ſolo fundo diverſi co-

loris, & lineis diſtinguantur, attamen in ipſa ſola ambitus iconum, & partium delineatione totius humani corporis, & partium ſymmetriam, & in ſimilitudine pulchritudinem prae ſe ferunt, & venuſtatem aliquando, & venerem etiam illam, quam Apelles ſui temporis artificum operibus deeſſe dolebat. Statuae ex aere, quae ad nos pervenerunt, non ſolum optimi perfectionem abſolutionemque oſtendunt, ſed declarant etiam Etruſcos veteribus Graecis fuiſſe ſuperiores aeris conflandi artificio. Sunt enim illae intus cavae & inanes, cum Graeci, teſte Pauſania, ſtatuas effingerent pluribus laminis invicem, neque eleganter admodum junctis. Noverant & artem perfecte aeris parandi, & caelandi, inaurandique metalla, & gemmas etiam ſculpendi, ab eiſque morem Graeci & Latini fortaſſe accepere gemmeis oculis ſtatuas ornandi. Multa tum monumenta, tum ſcriptorum teſtimonia comprobant Etruſcos perfecte tenuiſſe artem plaſticam. Fuerunt & peritiſſimi architecturae, cum ordinem ſibi proprium invenerint, & alios ab aliis inventos tranſtulerint ſcite ad uſus ſuos. Eoſdem

fuiſſe inter primos, qui ſimulacris templa aedificaverunt, ex quibusdam monumentis poſſe probabiliter conſici putat Bonarrotius. Monetae Etruſcorum non typo percuſſae, ſed aere fuſo conflatae fuere. Quanti vero quaelibet valeret, aut penderet, orbiculi in ipſis monetis exprimi ſoliti indicabant. Quem morem ſignandi nummos, ut & partitionem librae in XII. uncias ab iis quoque traxiſſe Romani videntur. Conſpicere licet in utrorumque numiſmatibus bifrontem Janum, ſed hunc plerumque Etruſci repraeſentabant imberbem & pileatum, Romani barbatum, nudoque capite. Leviter tangit Auctor peritiam Etruſcorum in naturalibus & civilibus rebus: ex iis tamen, quae in medium affert, conjici poteſt de ſideribus, & eorum motu, de temporibus dimetiendis, de mundi & terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac poteſtate, ipſos praeclara tradidiſſe, & omnia fere liberalia ſtudia coluiſſe. Oleum & operam eos perdidiſſe judicat, qui Annii Viterbienſis veſtigia ſecuti in interpretanda ignota ſane Etruſcorum lingua elaborarunt: aſſequi nos poſ-

ſe, quid eorum litterae (ſunt enim Graecis, ſi harum invertatur figura, magna ex parte ſimiles) minima vero quid verba valeant. Recte admonet aut temporum, aut locorum diverſitate figuram litterarum mutatam, quod idem Latinis ob brevioris & expeditioris ſcripturae ſtudium contigiſſe alibi animadverterat. Ad ſeparandas ſingulas dictiones adhibuere Etruſci unum, vel duo, vel tria puncta; utebanturque notis, quae praenomina, vel dictiones aliquas pro formula apponi ſolitas, vel numeros ſignificarent. Reſtabat Bonarrotio, ut originem Etruſcorum inveſtigaret, quam Dempſterus in praeteritis reliquerat. Non ariolans, ut nonnulli, quibus ſanus nemo credidit, ſed conjecturam faciens, ab Aegypto eos adveniſſe putat, quando eae regiones factae ſunt infeſtiores magnis paſtorum incurſionibus. Etenim poſt primam inter Noe nepotes terrarum diviſionem, progredientibus aetatibus, coepere populi, vel quod ab aliis pellerentur, vel quod numerus hominum praeter modum creſceret, ſedes mutare, & quae aliis obtigerant, provincias invadere. Antequam profugi Aegyptii in E-

truria conſiderent, eos in Lydiam appuliſſe, ibique aliquandiu conſtitiſſe exiſtimat. Eodem fortaſſe tempore Cecrops, Cadmus, & Danaus Aegyptias colonias in Graeciam deduxere, & ex communi Graecis, & Etruſcis origine deduci ratio poteſt, cur multas fabulas, ritus, ſuperſtitioneſque communes habuerint. Ceterum non deſunt Bonarrotio argumenta, quibus probet ſententiam ſuam de Etruſcorum ab Aegyptiis origine. Comparat enim utriuſque populi ſimilitudines, quae ſunt capillorum tonſura, & veſtium forma; gryphes & leones alati; Numinum ſimulacra alis ornata; de Diis fabulae; opiniones circa Tartara, & defunctorum hominum poenas; non prorſus diſſimilis forma litterarum; mos ſcribendi a dextera ad ſiniſtram, & inſculpendi litteras in ipſis ſignis, vel ſignorum veſtibus. In extrema parte, & concluſione operis Bonarrotius exhortatur omnes ad Etruſcae linguae, Etruſcarumque rerum indagationem, & ipſe tradit vias, quas ſequi debeant ſtudioſi. Quamvis multi poſtea ejus exemplo, vocibus, proſperoque ſucceſſu excitati in hujuſmodi ſtudium incubuerint, non tamen multum

tum proyecta est antiquitatum Etruſcarum cognitio; & ii ipſi, qui novas, inſperataſque terras ſe detexiſſe gloriantur, aliquando fortaſſe dolebunt, quod nimis ſibi aſſentatos eſſe ſapientes viri judicaverint. Pauci quidem imitari potuerunt ſummam Bonarrotii prudentiam, pauciſſimi diligentiam, & ſagacitatem exaequare (quis enim non fatebitur mutas figuratae, ut appellare ſolemus, antiquitatis reliquias factas eſſe coram eo eloquentes?) quare fecit, ut vere de eo dictum eſſe videatur: *vetuſtis novitatem, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturae ſuae omnia dediſſe* (1). Felicem igitur appellare debemus Bonarrotiorum familiam, quod ex ea duo praeſtantes viri Michael Angelus, & Philippus prodierint, quorum alter monumentorum antiquitatis perfectus adeo imitator, alter explicator fuit, ut, qui eumdem curſum tenere cupiunt, eos ſpectare debeant tanquam Helicen & clariſſimos Septentriones. Nec ſolum ſcriptis, ſed etiam conſiliis, & praeceptis utilem ope-

L

(1) Plin. in prin. Hiſt. nat.

ram praebuit Bonarrotius patriae & reipublicae. Ab eo enim Sebaſtianus Blanchius, Antonius Franciſcus Gorius, Venuti Fratres, & alii, qui non mediocri fuerunt gloria in noſcendis explicandiſque antiquis monumentis, edocti fuere. Non mediocres etiam ab eo fructus ſe percepiſſe grata declaratione teſtatus eſt Scipio Maffejus. Non poſſum vero eorum me adſcribere ſententiae, qui affirmant, eumdem praeſto fuiſſe Q. Sectano, & Gerardo Capaſſio, cum alter ſuas in Philodemum ſatyras, alter Laderchianas nugas contexeret. Etenim Bonarrotius natura mitis & lenis erat, neque Latine ſcribendi elegantia admodum valebat (ſi valuiſſet, non uſus profecto eſſet opera Virginii Valſechii ad vertenda ex Italico in Latinum, quae de veteri Etruria ſcripto mandaverat) adeo ut credibile non ſit, adjumenta ab eo illos petiiſſe, qui laudem ex probris & conviciis cum orationis nitore jactatis quaerebant. Potius illud aſſentiar, quod a Lamio dictum eſt, auxilio fuiſſe Bonarrotium Raphaeli Fabrettio in illa antiquarum inſcriptionum collectione conficienda; quanquam ille potuiſ-

ſet addere foedus quoddam fuiſſe ſapientum, qui antiquitatis ſtudia iis temporibus maxime coluerunt, ut nihil hac conjunctione ad eadem ſtudia provehenda fuerit aptius. Nihil eſt, quod libentius referam, quam conjunctionem hominum inter homines, & quaſi quamdam ſocietatem & communicationem utilitatum; execraborque ſemper, tanquam peſtem & perniciem reipublicae, invidos, malevolos, lividos, qui quidquid laudabile ac praeclarum in aliis vident, oderunt, atque inſectantur. Ex omnibus, quos Bonarrotius habuit, amicis plurimi facere videbatur, ac venerari ut parentem Henricum Noriſium, ex cujus judicio maximos fructus (nulla enim gravior erat auctoritas apud Coſmum Mediceum) ſe conſecutum fuiſſe confitebatur. Diligebat etiam in primis Joannem Ciampinium, cujus domum, ſeu potius dixeris Academiam, ſapientiaeque domicilium, quoad Romae fuit, frequentavit; quocum luſtrare loca antiquis monumentis, & hiſtoriis inſignia conſueverat; & ad quem abſens ſaepiſſime litteras ſcribebat de rebus ad communia ſtudia pertinentibus. Secundum illum coluiſſe

L 2

videtur Juſtum Fontaninium; quique norunt fuiſse hunc paullo difficiliori natura, admirabuntur permanſiſſe ſtabilem hujuſmodi amicitiam, ſicuti gloriatur ipſe Fontaninius (1), ad quatuor uſque ſupra triginta annos. Si quid in amicitiis reperiſſet Bonarrotius, quod minus probaret, aut quo etiam offenderetur, nunquam illas repente praecidit, raro ſenſim diſſuit, ſaepiſſimeque ſua patientia & humanitate errata aut vitia aliorum ſublevavit. Et profecto eſſe debebat ad amicitias aptiſſimus homo, qui cum ſingulari doctrina ſingularem modeſtiam conjungebat, qui permanſit ſemper in liberali gratificandi voluntate, qui ab adulatione, & ab aſpera reprehenſione aeque erat alienus, moderatus, cautus, & diligens, in rebus optimis con-

(1) *Biblioteca dell' eloquenza Italiana T. 2. p. 206.* Hoc in loco Fontaninius exquiſitiſſimis verbis laudat Bonarrotium, & merito laudatum fuiſſe ab homine laudum parciſſimo animadvertit Apoſtolus Zenus, quia de eo quidquid detraheretur neceſſe eſſet aut infirmitati, aut invidiae aſſignari. Illud etiam addidit Zenus talem fuiſſe Bonarrotium, *che per doti d' animo, per eccellenza d' ingegno, per finezza di diſcernimento, per ampiezza d' erudizione, e per profondità di ſapere ebbe pochi pari al ſuo tempo, niun ſuperiore.*

[illegible], & pertinaciae inimicus, ſine fuco ac fall[illegible], moriſque majorum perfectiſſimus imitator. Quanquam frugalitatem adeo amaret, ut ea etiam negligeret aliquando, quae vitae cultus deſiderare videtur, prae ſe ferebat tamen dignitatem quamdam, nobilitatemque, quam vel odioſae nimiſque exquiſitae munditiae cultores agnoſcerent ac venerarentur. Vidiſſes tota in domo illius permixta & confuſa Graeca & Latina epigrammata, ſarcophagos, ſtatuas, anaglypha fictilia, aerea, marmorea, omniſque generis, omniſque antiquitatis monumenta, pictas tabulas, libros, & multa etiam ad naturalem hiſtoriam ſpectantia, quo quidem in genere fuit non modo doctus, verum etiam copioſus: ſed haec omnia mente & cogitatione diſtinguebat. Itaque non eſt mirandum, ſi ejus domus quotidie frequentia doctorum hominum celebraretur. Nec quoties liberalitatem, aliaſque virtutes exercebat Bonarrotius, eum gloriae cauſſa facere poterat quis exiſtimare. Nam, ut teſtatus quoque eſt Julius Oricellarius Senator ampliſſimus in funebri, quam de eo habuit, oratione, nemo illo clarius

oſtendit quaſi concéntu, & conſenſu quodam actionum, principum Philoſophorum incognita ſe habuiſſe praecepta, ut iis ad vitam agendam, non ad oſtentationem uteretur. Diem obiit VI. Id. Dec. anno MDCCXXXIII. & in aede S. Crucis celeberrimo urbis loco (hunc quodammodo dixeris Ceramicum Florentinum; adeo nobilitatus eſt ſummorum hominum reliquiis) ſepulcri monumento prope gentilis ſui Michaelis Angeli Bonarrotii donatus eſt. In eo vero legitur hoc elogium, quod Gorius exaravit.

PHILIPPO BONARROTIO SENATORI FLOR.
MAJESTATIS ETRUSCORUM REGUM ADSERTORI
IUSTO SAGACI PRUDENTI
SUMMO ANTIQUITATIS INTERPRETI JURIS SCIENTIA
NATURAE ATQ. HISTORIAE COGNITIONE INGENII
MONUMENTIS
SINGULARIS MODESTIAE PROBITATISQUE EXEMPLIS
CONSPICUO
FAUSTA MALAVOLTIA UXOR ET LEONARDUS FILIUS
MOERENTES P. VIX. A. LXXII. D. XX.
OBIIT VI. EID. DEC. A.
CIƆIƆCCXXXIII.

Florentina Academia, Romana Arcadum, aliique Litteratorum coetus, quibus erat ad-

ſcriptus Bonarrotius, ejus laudes carminibus [1] & ſoluta oratione celebrarunt. Biennio antequam moreretur habuit ab amico Franciſco Victorio honorem numiſmatis cum inſcriptione: QUEM NULLA AEQUAVERIT AETAS; quod praeconium debitum eſſe ejus ſingulari doctrinae & prudentiae in explicandis antiquitatis reliquiis ſi ipſi, qui eadem ſtudia exercebant, libenter fatebantur. Sed ut vultus hominum, ita ſimulacra vultus imbecilla ac mortalia ſunt, forma mentis aeterna, quam tenere ſolum & exprimere tuis ipſa moribus & praeclaris operibus, beatiſſima anima, potuiſti.

(1) Non videtur poſſe ſilentio praeteriri Ode Thomae Crudelii, cujus initium: *Qual non inteſo duolo*, in quam profecto illud convenit elogium: *Muſa vetat mori*.

OPERA EDIT.

Oſſervazioni Iſtoriche ſopra alcuni medaglioni an[illegible]. In Roma nella Stamperia di Domenico Antonio Ercole in Parione 1698. *in* 4.

Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro ornati di figure trovati ne' cimiterj di Roma. Firenze 1716. *nella Stamperia di S. A. R. in* 4.

Ad monumenta Etruſca operi Dempſteriano addita explicationes & conjecturae. Extant in vol. II. *de Etruria Regali Thomae Dempſteri Florentiae* 1724. *in fol.*

Deſcrizione Genealogica della nobile ſamiglia de' Buonarroti. Extat in fine *della vita di Michel Angelo Buonarroti il Vecchio ſcritta da Aſcanio Condivi: in Firenze per Gaetano Albizzini* 1746. *in fol.*

Teſtatur Lamius ad LX. volumina manu exarata reliquiſſe Bonarrotium, inter quae Pictorum vitas, ſed adfectas, non perfectas.

Idem Lamius inter manuſcriptos codices Bibliothecae Riccardianae numerat. *Riſpoſta al dubbio propoſto dal Senator Buonarroti, ſe il ſaſſo, che conducono le piene d' Arno, ſcorra a di lungo, e non arrivi mai al Ponte a Signa.*

ANGELUS FABRONIUS

JOSEPHO MAROTTO

S. D.

NOn inficior me ſuppuduiſſe, quod te hominem occupatiſſimum publice docendi munere ſaepius meis litteris interpellaverim, & exigere magis quam rogare viſus fuerim, ut Raphaelis Fabretti vitam exponeres. Quod promiſſum tandem exſolveris non in mercedis, ſed in beneficii loco numero, quippe quia ſcriptum tuum magno huic volumini ornamento fore exiſtimo. Nihil enim eſt quod magis delectet compoſita oratione & ornata, & artificio quodam & expolitione diſtincta. Te etiam atque etiam oro, ut ſi quid ejuſmodi abſolveris mecum communicare velis; neque quod Latinis litteris clarorum virorum facta a nobis commendentur, ita cadere animis debemus, quaſi noſtra perpaucos, aut nullos ſint habitura lectores. Ut enim Litteratorum reſpublica perſuncta erit hoc quaſi miſero fatalique bello, quod cum Gallis praeſertim ſuſtinere cogitur, qui

quidquid Latinum eſt averſari & oppugnare videntur, ſua tandem reddetur gloria Latinis litteris; & mirabuntur fortaſſe ipſi Romanae elegantiae majeſtatiſque hoſtes, non citius occurſum fuiſſe eorum furori, neque validius coercitam eorum nocendi voluntatem. Nec tamen eſt haec oratio mea hujuſmodi, ut vernaculas linguas negligi velim, quin immo omni cura atque opera eas excolendas ſuaſerim. Sed mihi videtur eas ipſas ditiores & ornatiores fore, ſi linguarum doctarum, ut loquimur, ſubſidium ſibi comparaverint; & ii ipſi, qui iiſdem utentes laudem haud mediocrem ſunt conſecuti, affirmare non dubitarunt his ſtudiis & artibus praeſertim ſe illam eſſe adeptos, quae ſunt nobis Graecorum & Latinorum monumentis diſciplinisque conſignatae. Quare & fecisti egregie & facis, quod cum tibi cura commiſſa fuerit Romanae inſtituendae juventutis in eloquentiae ſtudiis, quotidie huic inculcas, ni velit errare & vagari latius, veterum ſcripta tanquam Helicen & clariſſimos Septentriones ipſam intueri debere. Equidem non modo ad perfectam eruditionem caecos, ſed etiam ad ea ipſa, quae aliqua ex parte cerni videantur, hebetes & obtuſos illos judico, qui non intelligunt, quantum ex

Inſcriptionibus Latinae litterae emolumenti accepe[illegible], quantaque laude & imitatione digni ſint ii, qui in illis colligendis, ordinandis, interpretandiſque omnem pene aetatem contrivere. Occurrant licet interdum in inſcriptionibus inſolentia verba, aut inurbanae dictiones, aut ſermo non omnino purus & nitidus, eae tamen ad perfecte tenendam Latinam linguam non modo utiles ſunt, ſed pene neceſſariae; neque ſane Aegidius Forcellinius TOTIUS LATINITATIS LEXICON *a Facciolato concinnatum augere adeo, emendare & ornare potuiſſet, niſi Latinarum inſcriptionum ſubſidium ſibi comparaſſet. Quot res in chronologia non modo obſcuras, ſed prorſus ignoratas hujuſmodi monumenta, quae in apricum profert aetas, nobis aperuere? Illa ne mediocria, quae ab iis geographia conſecuta eſt, emolumenta? Quot urbium & oppidorum ſitum, ac pene deſcriptionem aedificiorum per eadem compertam habemus? Non privatarum modo familiarum, ſed etiam Regum, Auguſtorum Auguſtarumque hiſtoria, nobiliorum Ducum geſta & praemia, officia, dignitates, munera, collegia, & infinita pene, quae ad religionem pertinent, inſcriptionum ope optimo in lumine collocantur. Miror equidem nullos extitiſſe,*

qui ad extollendam praeſtantiam utilitatemque inſcriptionum ſe dederint, exemplum ſecuti Spanhemii & Froelichii, quorum alter DE PRAESTANTIA NUMISMATUM, *alter* DE UTILITATE REI NUMARIAE VETERIS *copioſe & eruditiſſime diſſeruerunt. Qua in re ſi fortunatiora fuiſſe numiſmata videntur, huic tamen ipſi inſcriptionum ſtudio plurimum concedant neceſſe eſt. Neque ad hujus ſtudii dignitatem utilitatemque imminuendam quidquam facit, quod ſaepe offendantur fucoſae & fallaces merces, a quibus vel antiquitatis conſultiſſimi in errorem inducantur. Habet enim ars quoque lapidaria ſuas regulas & notas, quibus vera a falſis diſcernat, quibuſque vel ſeveriſſimis diſceptatoribus auctoritatem ſuorum monumentorum probare poſſit. Qua de re ne diſſentire quidem a nobis puto illum ſcrupuloſiſſimum* ARTIS CRITICAE LAPIDARIAE *Auctorem, quamvis eo in opere inſcriptiones ab eruditorum ferme conſenſu ad hunc diem receptas, & commentitias tamen, ſedulo perquirit, inque judicium, novis tabulis, noviſque teſtibus adhibitis, iterum pertrahit, & cum infinito lapidum numero prope bellum inferat, eas ſecerni arbitratur oportere, & ex libris removeri, quae vel minimum dubitationi locum relin-*

quant. Ac de toto quidem Maffeii opere videant eruditi, e quibus unus Franciſcus Antonius Zacharias exiſtimavit, futurum profecto ut multa Maffejus eo in opere aut immutaret, aut lenius ageret, ſi poſt editum MUSEUM VERONENSE illi manum admoviſſet. Sed praefandi finem faciam, ne diutius morer lectores, qui te ipſum de Fabretti ſcriptis, & de ejus opera ac diligentia in colligendis veteribus inſcriptionibus judicantem audire cupiunt. Vale.

Piſis Non. April. MDCCLXXX.

RAPHAEL FABRETTUS.

Raphael Fabrettus, de cujus vita ea, quae nobis comperta fuere, memoriae mandare conſtituimus, nobili genere Urbini natus eſt, nempe in ea urbe, quae cum ſemper clariſſimis viris floruit, tum optimarum artium ſtudiis omni tempore mirifice eſt illuſtrata, quorum utrumque Dominorum ſuorum munificentiae Urbinates acceptum referunt. Familia enim Roborea, cujus in ditione Urbinum fuit, ita ſemper liberalium artium ſtudia fovit, ut nihil in ipſius urbis procuratione ſibi antiquius duxerit, quam ut in ea litteratiſſimis viris, artificibuſque praeſtantiſſimis domicilium conſtitueret. Ex quo ſane factum eſt, ut tam multi ex ea in omni doctrinarum artiumque liberalium genere egregii viri extiterint, ut neſciam, an alia gens unquam Urbinatibus hac laude praeſtare poſſit. In ea igitur urbe anno MDCXVIII menſe Junio, regnante adhuc Franciſco Maria Roboreo, natus eſt Fabrettus, cui cum praecellens ingenium naturae munere obtigiſſet,

nil mirum brevi tempore unum ex iis evaſiſſe, quos Urbinates praeſtantioribus ſuae civitatis viris adnumerant. Excitatus enim tot litteratorum virorum exemplis, ita ad omnem eruditionem ſe contulit, ut excellentiores, quos adaequabat ingenio, etiam doctrina ſuperare contenderet. Sed ab initio eſt exordiendum. Callii, quae ſub Urbini ditione urbs eſt, in Latinis Graeciſque inſtitutionibus audiit praeſtantiſſimum praeceptorem, qui jampridem in hujuſmodi diſciplinis inſtitutus a Manutiis, & Mureto fuerat, viris (quod nemo ignorat) in utraque lingua praecellentiſſimis. Itaque venuſtatem illam, concinnumque in ſcribendo leporem, quem ex tam praeclaris doctoribus magiſter hauſerat, idem cum Fabretto communicans brevi adoleſcentulum ad veterum Latinorum, Graecorumque ſcriptorum normam ita exegit, ut jam tum Fabretti nomen, quemadmodum Aegidius Menagius prodidit, non intra Italiae fines tantum, ſed etiam extra Italiam ipſam, tranſque Alpes potiſſimum celebre eſſet. Quod eo pluris faciendum duco, quod gentes illae tunc falſo perſuaſum habebant, puram putam il-

tiam, quam vocant, elegantiam, quae multos annos ante in Italia viguerat, Italos averſatam apud ſe domicilium conſtituiſſe. Exacto humaniorum litterarum curriculo, atque Urbinum reverſus, totum ſe ad utriuſque Juris ſcientiam adjecit, quarum facultatum lauream accepit nondum duodeviceſimo anno aetatis expleto. Neque vero, ea parta, perinde ac ſi ad ſapientiae metam perveniſſet, ab inſtituto curſu conquievit. Etenim non ignorabat ſe ea, quam hactenus in ſtudiis adhibuerat, contentione, vix dum doctrinae tyrocinia poſuiſſe, ſimulque illud intelligebat, nequaquam doctum hominem eum eſſe putandum, qui doctoris nomen tantummodo ſit aſſecutus. Igitur cum non vulgare aliquid agitaret animo, quo facilius quae meditaretur ad exitum perduceret, Romam ſe contulit. Commorabatur ea in urbe Stephanus frater ejus natu major, vir humani divinique Juris peritiſſimus, cujus tunc magnum nomen erat in foro. Itaque in ejus diſciplinam Raphael ſe tradens, & ingenii praeſtantia, & ſcribendi exercitatione eo evaſit, ut brevi tempore illuſtraretur. Erat jam tum Fabretto in

deliciis

deliciis antiquitatis cognitio, eamque ſcientiam ita prae ceteris adamarat, ut pene hac una delectari videretur. Itaque quidquid otii ex ſeverioribus diſciplinis ſibi reliquum eſſet, id totum aut veterum hiſtoriis perlegendis, aut antiquioribus monumentis inveſtigandis tribuebat. Sed de hujuſmodi ſtudiis, in quibus praecipuam vitae ſuae partem Fabrettus inſumpſit, ſeparatim ſcribendum erit, poſtquam de honorum decurſu dixerimus, ne aut hanc vitae partem ommittendo, ea, quae Fabretto praecipue laudi ſunt, negligere videamur, aut illa iis interſerendo, hiſtoriae perſpicuitati, cui potiſſimum ſtudere debemus, minus conſuluiſſe arguamur. Neque ſane laus una Fabretti fuit doctrinarum cognitione praeſtare, ſed quod praecipuum eſt, ſummam doctrinam cum ſumma prudentiae & dexteritatis laude conjunxit; quae ſane conjunctio cum ſingularis eſſet, ſummam ei apud principes viros & exiſtimationem & auctoritatem ſtatim conciliavit. Itaque cum in Hiſpaniam ad res difficillimas componendas aliquis Roma mittendus eſſet, qui & ſagacitate & conſilio plurimum poſſet, Fabrettus unus

idoneus eſt viſus, cui potiſſimum haec tanta provincia demandaretur. Itaque a Laurentio Imperiali Cardinali, cujus res agebatur, in Hiſpaniam miſſus, difficillimo munere tanta felicitate perfunctus eſt, ut, quod vix ſperari poſſe videbatur, rebus omnibus ſine ulla controverſia compoſitis, Romam redierit. Cujus ſane rei non exiguum praemium tulit. Nam Alexander VII. cum hominis prudentiam remunerari cuperet, paullo poſt Fabrettum Hiſpanienſis Legationis aerario praepoſuit. Quod munus cum caſte integreque aliquot annos adminiſtraſſet, ab eodem Pontifice legationis ejuſdem Aſſeſſor factus eſt, in qua etiam procuratione & maximam ſibi conſilii laudem peperit, & ſimul oſtendit de integritate & prudentia ſua in utriuſque muneris delatione optime a P. M. fuiſſe judicatum. Tredecim poſt annos Romam ex Hiſpania reverſus Appellationum Judex in Capitolio conſtituitur; grave ſane munus ac difficile, cujus in adminiſtratione eximia quaedam aequitas, & juris peritia requirebantur. Quod etiam munus ea integritate ab eo geſtum eſt, ut ejus opera nemini non fuerit probata.

Quae quidem indicia ſunt cum ſummae ejuſdem in muneribus omnibus gerendis prudentiae, tum etiam in tranſigendis expediendiſque negotiis praecipuae cujuſdam ac feliciſſimae dexteritatis. Verum cum ejus virtus certatim expeteretur ab omnibus, non multum interceſſit temporis, cum ei Urbinum una cum Carolo Cerrio Cardinali Urbini Legato commigrandum fuit. Is cum plurimum aequitati & doctrinae Fabretti confideret, eum ſibi adeſſe voluit, & Legationis, ut vocant, Auditorem conſtituit, ſupra quem ferme totum Legationis ipſius onus incumbit. Tulit hoc onus non gravate Fabrettus, operamque ſuam & Legato praeſtitit, & patriae detulit. Quo tempore res domeſticas etiam curare non neglexit; & cum patrias opes valde attritas procuratorum negligentia offendiſset, eas reſtituere, quoad potuit, conatus eſt. Opportunum ad hoc ſubſidium contulit pecunia, quam bonis quaeſitam artibus ſecum ab Hiſpania detulerat. Triennio Urbini peracto, ei non, ut optabat, otioſo eſse licuit, quo ſuis ſtudiis liberius obſequeretur. Nam Romam reverſus ſtatim a Gaſpare Car-

pineo Cardinali Innocentii XI. P. M. Vicario, cui jamdudum eximia Fabretti eruditio atque prudentia perſpecta eſset, iis de more examinandis, qui in Clerum cooptandi eſsent, praeficitur. Cum vero non minus doctrina, quam eleganti quodam ſcribendi genere valeret plurimum, dignus plane habitus eſt, qui ab eodem conſcribendis Pontificiis decretis eligeretur. Demortuo Innocentio XI. Alexander ſucceſſit VIII. qui cum viri virtutem probe cognitam atque exploratam haberet, ei libellorum ſupplicum curam commiſit, eumque primum S. Mariae Tranſtiberim, deinde multo ampliſſimo Baſilicae Vaticanae canonicatu & ditavit & honeſtavit, tum & ſacrorum coemeteriorum Praefecturam, qua unice ille delectatus eſt, adjunxit. Hanc quemadmodum Fabrettus exercuerit, tunc dicemus, cum de ejus ſtudiis erit ſcribendum, cum quibus mirifice hujuſmodi procuratio congruebat. Multum apud Alexandrum Pontificem gratia valuit Fabrettus: nam & eum ſibi adeſse volebat in magnis rebus, & hominis auctoritate multum movebatur. Multa etiam, eo conſulto, & praeclara & toti Chri-

ſtiano ubi ſalutaria conſtituebat. Juvit etiam eumdem Pontificem in Alſietinae aquae ductuum reſtauratione. Quanquam idem in opere de aquis & aquae ductibus aquam illam neget Alſietinam vocandam eſse, aut per Alſietinae ductus Romam induci, quemadmodum perperam inſcriptum legitur in celeberrimo illo Paulli V. monumento, qui Pontifex, tribus millibus aquae unciarum adjectis, fontem illum mirifice auxit. Oſtendit enim Fabrettus nullo modo eam aquam illam eſse, quam Auguſtus in naumachiae uſus ex Alſietino, ſed quam Trajanus e Sabbatino lacu, quae longe altius decurrit, Romam deducendam curavit. Cuſa etiam hoc tempore numiſmata ad formam a Fabretto ſumma elegantia excogitatam, quibus nihil unquam poſt auream illam Auguſti aetatem Romae elegantius viſum fuerat; ita vero ſcripta, ut ipſam temporum illorum venuſtatem dignitatemque prorſus referrent. Parva quidem haec res eſt, ſi cum majoris momenti rebus comparetur, ſed certe non contemnenda. Reſidet enim in numiſmatis affabre cuſis neſcio quomodo dignitas quaedam atque amplitudo

Imperii. Neque vero Innocentii XII., qui Alexandro ſuffectus eſt, minor in eum benevolentia fuit. Hic enim cum parem Deceſsori ſuo de Fabretto exiſtimationem haberet, multumque ejus prudentiae integritatique conſideret, non ſolum ejus conſiliis uſus eſt, ejuſque ſapientiam maximi ſemper fecit, verum etiam eumdem multis honeſtavit muneribus; inter quae illud praecipuum, quod ejus fidei Pontificium tabularium credidit, quod in Hadriana mole ſumma diligentia cuſtoditur; cujus ſane cura nemini unquam committitur niſi illi, cujus vigilantia atque fides omnibus ſit plane perſpecta. Nam & ſcriptorum copia & eorumdem aeſtimatione tabularium hoc ceteris omnibus, quae in Urbe aſſervantur, longe praeſtat. Supervacaneum hic eſt exponere quomodo ſe hoc in munere geſſerit Fabrettus, qui in omnibus, quae hactenus perſecuti ſumus, tantis tamque diverſis muneribus non modo eorum, qui ſibi ea demandarunt, deſiderium ſemper expleverit, verum etiam cumulaverit. Atque ex his, quae hactenus ſcripta ſunt, nemini dubium eſse poteſt, quin Fabrettus vir fuerit ſumma pru-

dentiae, dexteritatis, ingenii laude commendatiſſimus, idemque ad omnia pene (quod rarum omnino eſt ac ſingulare) a natura comparatus. Haec praecipue fuerunt munera, quibus praeclariſſimus vir functus eſt, ampliora certe conſecuturus, niſi litterarum amor, quibus unice delectabatur, ab honorum cupiditate hominem ſemper abſtraxiſset, eumque ab omni prorſus dignitatum petitione revocaſset. Atque haec de honoribus, quibus honeſtatus Fabrettus tantam ſibi & prudentiae & aequitatis famam peperit. Nunc aliqua de ejus ſtudiis attingenda, quibus ille tantam doctrinae atque ingenii laudem conſecutus eſt. Delectabatur ille, quemadmodum ſupra dictum eſt, antiquitatis cognitione, eamque ſcientiam non ſolum adamarat, verum etiam prae ceteris excolendam ſuſceperat: quo etiam libentius Romam in adoleſcentia ſua ſibi eundum putavit. Videbat enim ſtudioſiſſimus adoleſcens tum multa commoda ad hanc cognitionem aſsequendam illam urbem omnibus ſuppeditare, ut qui diutius ibi commoraretur, eaque ſolum, quae vulgo occurrunt, curioſius inveſtigare vellet,

haud multo ſane labore, dum graviores facultates addiſceret, hac etiam ſcientia erudiri poſset. Igitur, ut Romam venit, ita ibi verſari incoepit, ut nihil, quod cognitione dignum eſset, arripere praetermiſerit. Antiquitatum ſcriptores, quotquot ea tempeſtate celebrabantur, omnes collegerat, eoſque lectitabat aſſidue; eruditorum hominum, quorum multos ſibi paraverat, conſuetudine utebatur, eoſque colebat diligentiſſime; quidquid autem Romae antiquum eſset perſcrutabatur ſolerter, idque tanta diligentia ſcriptis mandabat, ut nihil accuratius fieri poſse videretur. Quo factum eſt, ut tam multa in ipſa adoleſcentia cognoverit, ut jam tum opera illa inſtituere aggrederetur, quae deinde ab eodem, tempore progrediente, confecta litterariae reipublicae tanto cum uſui, tum ornamento fuere. Neque ab hac vivendi ratione, quam Romae privatus tenuit, in Hiſpanienſi Legatione, dum reipublicae operam daret, receſſit. Ibi enim Latinis Graeciſque ſcriptoribus perlegendis totum ſe tradidit; quod ſane ei ſummo fuit adjumento. Hac una enim legendi exercitatione tam multa

didicit, ut in antiquitatis cognitione, quemadmodum ipſe fatebatur deinde, vix ſibi ab eo tempore aliquid ita novum occurrerit, quod non ipſe aut jam pridem exploratum haberet, aut non ſtatim conjectando facile aſſequi poſſet. Hic etiam veterum Romanorum monumenta, quorum non pauca in Hiſpania ſuperſunt, ſedulo inveſtigavit, nihilque negligens exſcribere praetermiſit, quod ſibi animadvertendum eſſe arbitraretur; id autem, ſi minus per ſe poſſet, per amicos aſſequebatur. Atque haec laus fuit Fabretti praecipua. Etenim dum vixit, quidquid rarioris vidit, id totum ſcriptis tradidit, idque (quod pluris in hac re faciendum puto) adeo accurate, ut quidquid ab eo aut exſcriptum, aut delineatum ſit, id exemplaribus ſuis mirifice reſpondeat. Hoc ille praeſertim praeſtitit, cum Romam rediens, & a Carolo Cardinali Bonello Legato, qui ex Hiſpania decedebat, in itineris ſocietatem acceptus una cum eo nobiliores Europae urbes obivit. Tunc enim diligentiſſimus antiquitatis inveſtigator, occaſione arrepta, qua commodiorem offerri ſibi amplius poſſe deſperabat, vetera monumenta

omnia, quae in Europae, ac praeſertim in Italiae urbibus, vicis, viis ſuperſunt, ſagaciſſime perluſtravit, multaque deſcripſit, quae ſibi deinde magno uſui atque adjumento fuiſſe teſtatus eſt. Hanc ille vivendi rationem tenuit dum Roma abſuit, ſeu potius dum in Hiſpania eſt commoratus. Nam Urbini quamdiu Legationis Auditor fuit, partim propter aſſidua illius provinciae negotia, cujus procuratio in eo potiſſimum nitebatur, partim quod familiae ſuae (quemadmodum ſupra dictum eſt) commodis conſulere deberet, vix aliquid otii ad haec ſtudia recolenda ipſi reliquum fuit. Itaque tum publicam tum domeſticam rem ſuis ſtudiis anteferens, parumper ea ſibi intermittenda arbitratus eſt. Quo factum fuit, ut & provinciam illam ſumma cum vigilantiae laude adminiſtraret, & domeſticas fortunas multum auctas relinqueret. Atque haec omnia, quae de Fabretti ſtudiis hactenus dicta ſunt, accuratiori diligentia exponere voluimus, ut omnes intelligant, non immerito eruditiſſimos homines, quotquot aut per eadem tempora, aut conſequentibus deinde annis floruerunt, omnes

Fabretti opera uno ore tantis laudibus extuliſſe, eumdemque omnium ſui temporis antiquitatis conſultiſſimum exiſtimaſſe. Neque enim ab homine, qui ab ipſo aetatis initio totum ad haec ſtudia ſe adjecerat, eaque deinde tanta diligentia ac labore excoluerat, tam multa viderat, tam multa legerat, aliquid proficiſci poterat, quod non in ſuo genere perfectum eſſet, ſimulque doctorum omnium admirationem in ſe converteret; praeſertim cum is & ingenio acerrimo, & (quod potiſſimum ad haec ſtudia quaeri ſolet) memoriae facultate prorſus ſingulari uteretur. Certe Scipio Maffejus vir omnium doctrinarum laude clariſſimus in ſuis operibus, quibus tantam eruditionis famam apud omnes gentes ſibi comparavit, ubi Fabretti mentio incidit, ſaepius hujus ſapientiſſimi viri ſtudia, eruditionemque maximis laudibus extollit, eumdemque antiquitatis cognitione ceteris omnibus praeſtitiſſe affirmat, utpote qui plura ſolus exſcripſerit, plura congeſſerit, plura explicaverit, quam ceteri unquam aut legere aut inveſtigare potuerunt; cujus ea fuit in dijudicando ſagacitas, ut pene nunquam fal-

leretur, ea rerum omnium antiquarum peritia, ut quidquid ab eo hoc in genere prolatum ſit, id & maximam auctoritatem habeat, & ceterorum omnium opinionibus jure ſit anteponendum. Idem teſtatus eſt Janus Vincentius Gravina, qui in eo libro, quem de originibus juris civilis ſcripſit, nihil certi de celeberrimo illo Legis Regiae fragmento, quod in arce Capitolina cuſtoditur, ſibi conſtituendum eſſe arbitratus eſt, niſi ante per epiſtolam Fabrettum Romanae antiquitatis oraculum (ſic enim eum vocat) conſuleret: cujus mox ſententiae ita acquievit, ut, omni illico depoſita formidine, monumentum illud contra nonnullorum opinionem, qui ipſum in ſuſpicionem vocaverant, & ſincerum eſſe dixerit, & luculenter illuſtrarit. Extant in eo libro tum Gravinae, tum Fabretti epiſtolae ſummo lepore conſcriptae. Sed jam de aetate illa aliquid dicendum, quam Romae tranſegit, poſtquam illuc a Gaſpare Carpineo Cardinali Innocentii XI. Pontificis vices in urbe gerente, ex Urbini procuratione evocatus, praeter cetera munera, de quibus ſupra diximus, ſibi demanda-

ta, ſacrorum etiam coemeteriorum curam ſuſcepit. Ex quo ſane munere tantam voluptatem Fabrettus cepit, quantam ex ceterorum omnium procuratione nunquam antea expertum ſe eſſe fateretur. Hoc ſane & cum ingenio ſuo mirifice congruere videbat, & ad antiquitatem ſtudioſius inveſtigandam incredibilem opportunitatem offerre cognoſcebat. Nihil autem cum ſtudiis antiquitatis conjunctius quam haec ipſa coemeteriorum procuratio, quibus cum pauca vix alia monumenta de antiquitate, nulla certe de dignitate ac religione contendunt. Horum ſi quis accuratam deſcriptionem cupiat, Antonium Boſium conſulat, qui iis de coemeteriis omnium accuratiſſime ſcripſit. Haec ipſa loca luſtravit Hieronymus, adoleſcens Romae cum eſſet, & Donato praeceptore rhetoricae operam daret, eorumque exactam in ſuis operibus deſcriptionem reliquit. Haec igitur cauſſa fuit, cur Fabrettus tantam ex hujus muneris procuratione voluptatem experiretur. Neque vero impar voluptati fructus reſpondit. Etenim & veteribus monumentis, quibus ea loca praecipue abundant,

effodiendis, & intimis terrae partibus aſſidue perſcrutandis non modo pulcherrimis cognitionibus auctus eſt, verum etiam rara multa atque ſingularia deprehendit, quibus deinde tanta hiſtoriae lux eſt allata, quod cum ex ejus operibus univerſis, tum praecipue ex inſcriptionum libro cognoſcimus. In eo enim pluſquam CCCC. vetera monumenta expreſſa exhibentur pene omnia ab eodem ex ſacris coemeteriis effoſſa, quorum cum nullum vulgare ſit, tum multa adeo ſint ſingularia, ut inter antiquitatis praeclariſſima recenſeantur. Coemeteriorum curam per trienmium exercuit, monumentiſque omnibus, quae hinc effoderat, facta a Cardinali Carpineo poteſtate, potitus eſt: hanc vero collectionem auxit deinde partim induſtria ſua, partim amicorum liberalitate, multa etiam ſibi pecunia comparavit, ac tum praeſertim cum Latium omne obire eſt aggreſſus. Qua in Latii perluſtratione, quid antiquitatis cognoſcendae cupido poſſit eſt animadverſum. Etenim hac una abreptus ita itinera omnia peragebat, ut ſolus equo ſidens nec frigoris rigore, nec ſolis ardoribus, nec viarum aſperitate, nec

imbrium ſaepe decidentium copia deterreretur, quominus loca Latii univerſa circumiret; oppida, vicos, vias inveſtigaret; circos, theatra, fana, reliquias denique antiquitatis omnes diligentiſſime perſequeretur; inſcripta marmora, ſi minus aut coemendi, aut aſportandi copia fieret, diligenter exſcriberet; ſingula vero tanta cura delinearet, ut vix a perito geometra accuratius fieri potuerit. Atque in hac peregrinatione ita hominem nunquam ardor animi defecit, ut audacior etiam, quam conſueverat, ſaepe viſus ſit. Neque enim ille abditiſſimos nemorum receſſus adire, invias montium latebras penetrare tantummodo audebat, verum etiam inacceſſas rupium altitudines, immaneſque ruderum moles conſcendere, atque intima terrae loca pervadens pene collabentes fornices ſubire, atque in iis ſummo cum periculo diu multumque deliteſcere. Hinc factum eſt, ut omnes Latii partes penitus exploratas haberet, ipſumque Latium ſcriptis illuſtrare aggrederetur. Hoc tamen opus, cujus incredibilis expectatio in litteraria republica fuerat excitata, fruſtra ab eruditis viris de-

ſideratum eſt. Etenim, quod morte interceptus ſupremam ei manum non potuit Fabrettus imponere, opus apud heredes delituit, neque unquam publici iuris eſt factum. Neque hic illud praetereundum, quod idem de equo illo ſuo narrare ſolebat, quo vectus Latii partes omnes circumivit. Aſſuetus enim ille heri juſſu conſiſtere ubicunque aliquid appareret, quod antiquum videretur, longo uſu edoctus nihil jam animadvertendum occurrebat, de quo non is ſtatim ultro conſiſtens dominum moneret; illudque addit, multa, quae certe imprudens praeteriiſſet, equo monitore ſe detexiſſe. Hinc vectorem hunc ſuum eruditum vocare, de litteraria republica benemeritum, antiquarium extra muros, cui ita antiqua omnia ſubolerent, ut quemadmodum canis venaticus feras, ita ille monumenta vetera odoraretur. Haec cum jocans Fabrettus amicis ſuis ſignificaſset, cumque ab iiſdem Marco Polo celeberrimo illo viro, qui totum pene orbem peragravit, equus aſſimilaretur, eodemque nomine per jocum vocitaretur, hac de re epiſtolam idem vernaculo ſermone conſcripſit quae venuſtate

ac lepore ſuo maximis laudibus celebrata eſt.
Sed quod Latii veteris opus neque ab eo,
neque ab heredibus unquam palam factum
fuerit, non idcirco nihil extat memoriae pro-
ditum, ex quo Fabrettum hominem illius
provinciae peritiſſimum cognoſcamus. Nam
poſt ejus mortem & a ſociis Academiae Cor-
tonenſis Latii Kirkeriani, emendatio eſt edita
ab eodem Italico ſermone ſumma eruditione
conſcripta, & opus illud de aquis & aquae-
ductibus celeberrimum memoriae proditum,
in quo certe oſtendit partem Latii eſſe nul-
lam, quam is non diligentiſſime perluſtrave-
rit, viam, monumentumque nullum, quod
non ſagaciſſime ſit perſecutus. Atque ut ne
de tam praeclaro opere una mentio fiat,
gratum me lectori facturum exiſtimo, ſi per
ſumma capita breviter hujuſce libri ordinem
atque rationem expediam. Tres igitur diſ-
ſertationes, ut vocat, hoc opus complecti-
tur, quarum prima, quam Lucio Tragurienſi
inſcribit, contendit auctor, Alexandrinam
aquam de cujus origine vehementer inter
ſe ſcriptores diſſentiunt, ex quodam loco de-
rivari, qui prope fluvii Oſae caput cernitur

in ea via, quae in bivium deſinens Roma proficiſcentes hinc Praeneſte, inde Labicum perducit. Addit etiam arcuatum opus illud, cujus adhuc plurima rudera paſſim per Romanum agrum diſperſa conſpiciuntur, quae multarum aquarum ductus fuiſſe ad ea uſque tempora eruditi exiſtimaverant, hoc unam Alexandrinam aquam Romam induxiſſe. Aſſert etiam tabulam ſepulcri, quod Alexandro Severo prope hujus aquae fontes fuit conſtitutum; ex quo etiam eruit, eam aquam illam eſſe, quam in balneorum uſum idem Imperator Romam deducens Alexandrinam de ſuo nomine nominari juſſit. In altera vero diſſertatione fontes oſtendit, unde aquae Marcia & Claudia deducebantur, viamque illam, per quam Roma & Tibure proficiſcentibus, Valeriam vetus Latii oppidum iter erat; tum veterem ſemitam demonſtrat, per quam ex Valeria via Sublacum divertebatur. Hanc ille diſſertationem Cardinali Carpineo inſcripſit, viro temporibus illis cum litteratorum omnium, tum Fabretti in primis patrono eximio. Tertia denique ceterarum aquarum, quas viginti apud veteres fuiſſe

compertum eſt, & fontes perſequitur, & ductus exhibet: ibique, oblata occaſione, de viis antiquis loquitur, earumque ſitum atque amplitudinem ſolertiſſime inveſtigat, atque patefacit. Hac ille diſſertatione Julium Montevecchium alloquitur, quem amicorum omnium dicit antiquiſſimum. Hoc ſane opus, quo nihil ad Frontinum illuſtrandum accommodatius (1) ut primum ab eruditis hominibus tam in Italia, quam extra Italiam perlectum eſt, tantam ſtatim Fabretto eruditionis famam conciliavit, ut nemo ex eo tempore antiquitatis amator Romam venerit, qui non Fabrettum inviſeret, cumque eo amicitiam inire ſtuderet. Verum hujuſmodi opus, quod tantam Fabretto laudem peperit, idem ipſi moleſtiarum maximarum origo, contentionumque graviſſimarum cauſſa extitit. Cum enim in eo libro Jacobi Gronovii ſententiam de veteris Algidi, viaeque Latinae ſitu Fa-

N 2

(1) Videndus omnino eſt Joannes Polenius in notis ad Frontinum p. 97. editionis Patav., quo in loco reprehendit Fabrettum, quod is Theoremata Benedicti Caſtellii de menſura aquarum fluentium Frontino nota atque perſpecta fuiſſe falſo putaverit. Vid. etiam volumen I. hujuſce operis pag. 250.

brettus exagitaſſet, cumque ab eodem perperam Livium multis in locis emendatum eſſe dixiſſet, adeo in ſe hominis furorem convertit, ut nihil contumeliarum ſit, quo non ab eodem fuerit appetitus. Etenim libro ſtatim edito, quem *Reſponſiones ad Raphaelis Fabretti cavillationes* injurioſius inſcripſit, ita in adverſarium invectus eſt ſuum, ut hominem ad alterum opus conſcribendum impulerit, in quo neſcio utrum magis mirari eruditionis copiam, an maledictorum acerbitatem debeam vituperare. Sed operae pretium eſt libri ordinem ſubtexere, ne cum de doctiſſimis viris ſcribimus, ſtrictim nimis quae utiliora ſunt exponere videamur. Reprehendit primo Fabrettus in hoc libro Gronovium, quod temere multa Livii loca emendanda curaverit, & eum locum praeſertim lib. XXVI. ubi Livius Annibalem Capua iter Romam facientem deſcribens ait: *inde Algido Tuſculum petit*, quem locum Gronovius ſic emendandum putat: *inde ab Pedo Tuſculum petit*: Quod Fabrettus prave factum, permultis Livii ipſius teſtimoniis allatis, conatur evincere. Idem deinde oſtendit, quam multa in geographi-

cis Gronovius peccaverit, utpote qui in locis Tuſculo vicinis dimidiam noctis hiemalis partem integra nocte aeſtiva longiorem fuiſſe putaverit. Arvernos Galliae populos ultra Garumnam á Maſſilia conſtituerit: Tempe Theſſalica aprica nominaverit, quae tamen opaca umbroſa a poetis deſcribuntur. Tum controverſiam aggreditur, quae inter utrumque de ſitu Algidi, ac viae Latinae exorta erat. Contendebat Gronovius, multa ex Livio afferens, agri Tuſculani limites Lavicanis conterminos eſſe, ideoque ajebat veriſimile ſibi nequaquam videri, Annibalem, flexo itinere, Algidum ſuperaſſe, cum ex Lavicano in Tuſculanum agrum progrederetur: quod ſane Fabrettus, iis ipſis, quae pro ſe Gronovius affert, teſtimoniis contra eumdem adhibitis, nequaquam ita ſe habere, ut ille contendit, demonſtrat. Multis ſubinde aliis ad hanc rem illuſtrandam adjectis, de Latina ac Lavicana via ſermonem inſtituit, eamque illa nequaquam longiorem eſſe contendit. Tum Silio Italico a Gronovii cenſuris vindicato, Tuſculi ſitum ſupra montis cacumen contra Holſtenii opinionem collocat,

eumque verum Tuſculi ſitum fuiſſe cum ex ipſa loci natura, atque ejuſdem urbis veſtigiis adhuc ſupra collem exiſtentibus evincit, tum ex veterum ſententiis, ac praecipue ex nummo quodam antiquo, in quo Tuſculum expreſſum exhibetur. Idem huic libro Latii veteris tabulam topographicam adjecit, quam tamen deinde, quod in eam aliqua imprudenter irrepſerant (erraverat nimirum Fabrettus in certo definiendo loco, quo viae tres Latina, Lavicana, Praeneſtina in unum coeunt) cum alia exactius elaborata commutavit: quod Cajetanus Marinius vir eruditiſſimus, a quo mihi multa ad Fabrettum pertinentia ſuppeditata fuere, ſe pluribus in libris animadvertiſſe teſtatus eſt. Edidit Fabrettus hoc *Apologema*, ſic enim hunc ille librum inſcripſit, Arcadico nomine ſuppoſito, idemque licet Neapolitanos typographos praeferat, editum tamen Romae fuit, iiſdemque formis, quibus alia ejuſdem opera impreſſa fuere. Hujus opinionibus univerſa litteratorum reſpublica ſtatim adſtipulata eſt; ipſique Batavi, a quibus Gronovii defenſio ſuſcipienda videbatur, litteras Fabretto mi-

ſerunt gratulationum plenas, quod impudentem adverſarii ſui faſtum contudiſſet, ſuſceptiſque partibus tam cumulate ſatisfeciſſet. Ceterum quantopere ab inſana hac ultro maledicendi licentia Fabrettus abhorreret, cum multa ejus vitae facta ſatis oſtendunt, tum illud praecipue, quod in ejus operibus animadvertimus, in quibus cum multorum opiniones refellere, multis refragari, multos corrigere debeat, ita ſemper moderate ſe gerit, ut, niſi ſi quando aut ipſa rerum indignitas aut adverſariorum improbitas poſtulet, animadverſiones ſuas cum laude potius adverſarii conjungat, quam ullam verborum acerbitatem praeferre patiatur. Multa ſane hic proferre poſſem temperantiae hujuſce ſuae documenta; unum tamen ſit inſtar omnium, quod memini me apud eum legiſſe in eo libro, quem de aquis & aquaeductibus ſcripſit. Hic enim cum Athanaſio Kirkerio, viro cum aſtronomiae tum antiquitatis periſſimo, ſibi neſcio qua in re contradicendum eſſet, quam diligentius inveſtigando ſecus ſe habere cognoverat, mirari ſe negat hominem in caeleſtium, atque incorporearum re-

rum contemplatione occupatum, earumque pulchritudine abreptum ad haec infirma & terrena, atque adeo infra terram ipſam poſita ſe demittere noluiſſe. Quod cum haud mediocrem Kirkerii laudem continet, tum Fabretti mirificam in ſcribendo temperantiam, atque adeo comitatem oſtendit. Atque hoc ſane alterum doctiſſimi viri opus eſt, ex quo ille Romani agri peritiſſimus agnoſci poteſt, ita ut addubitandum ſubeat, an is de regionis illius explicatione, quam tanto ſtudio ſuſceperat, conficienda minus ſollicitus fuerit; quod praeclariora illa, quae de Latio collecta haberet, ſibi jampridem in hiſce libris fuerint expoſita. Sed ad reliqua ejus ingenii atque doctrinae monumenta progrediamur. Idem etiam de Nervae Trajani Imperatoris columna Syntagma edidit, quod opus omnino ſingulare eſt, tum quod multa complectitur, tum etiam quia ita de his omnibus diſſerit, ut nihil magis enucleate, aut exquiſite fieri poſſit. Hunc ille librum ſcripſit, ut Alphonſum Ciacconium Hiſpanum, qui prior ejuſdem columnae hiſtoriam explicaverat, a Joannis Petri Bellorii cenſuris vin-

dicaret; ſimulque, ſi quid ab eodem Ciacconio in hujus praeclariſſimi monumenti explicatione peccatum eſſet, emendaret. Inter autem omnia, quae apud eruditos viros maximam admirationem excitarunt, ea nimirum ſunt, quae ibi, oblata occaſione, de navium veterum inſignibus, de tutelis, de ordinibus remorum, & de claſſiariis exponit, de quibus pauca admodum ante Fabrettum noveramus. Quae ſane quicumque legat, quae hominis fuerit conjectandi vis, quae dijudicandi felicitas, quae denique rerum omnium peritia, cognoſcet ac demirabitur. De militia autem Romana in eodem libro ſic loquitur, ut nemo melius; item de ſacrificiis veterum, eorumque caeremoniis, de veſtalibus earumque tonſura, de machinis poliorceticis, de ſpeculatoribus, de medicis caſtrenſibus, de amictu & pellibus, de ceſtuum figura egregie diſſerit. Addit etiam ibidem de ejuſdem columnae anaglypho nonnulla, quae Ciacconii Belloriique diligentiam fugere: tum ex lapidum inſcriptionibus, atque ex nummis antiquis gemini Dacici belli a Trajano confecti chronologicam contexit hi-

ſtoriam, atque horum monumentorum, quae vera habenda ſint, quae falſa ac ſuppoſita judicanda, callidiſſime diſquirit. Multis aliis deinde digreſſionibus hoc ille opus diſtinguit, quae ſane ad antiquitatis monumenta rite dignoſcenda maximam lucem praebent. Egregio huic operi duo alia adnectit, quae etiam plane ſingularia ſunt; quorum primum veteris tabulae anaglyphicae Homeri Iliadem, atque ex Steſichoro Arctino ac Leſche Ilii exſcidium exhibentis explicationem continet, eique tabula aeri inciſa praefigitur; alterum lacus Fucini emiſſarium a Claudio Imperatore maximis ſumptibus excavatum luculenter deſcribit. Hos etiam libros univerſa litteratorum virorum reſpublica magno plauſu excepit, magnique ſemper habuit, iique apud poſteriores antiquitatum ſcriptores ſaepius ſumma cum Fabretti laude celebrati inveniuntur. Nihil enim in illis eſt, quod non maximum hominis ingenium eruditionemque commendet. Neque vero hic laboribus ſuis finem impoſuit Fabrettus: inſcriptiones enim omnes, quas partim exſcribendo, partim coemendo collegerat, eas in unum volumen or-

dinatim redigere atque explicare eſt aggreſſus. Quam ſane collectionem ita ſemper ante oculos habuit, ut haec in omni vita unice ei cordi fuiſſe viſa ſit. Itaque quidquid animadvertebat, quidquid exſcribebat, quidquid legebat, eo ſemper ſpectare videbatur, ut & rerum novarum copia, & perſpicua ipſarum diſponendarum atque explanandarum ratione opus omnino rarum ac ſingulare exiſteret. Nec ſucceſſu caruit res: opus enim & omnium expectationi egregie reſpondit, & ceterorum omnium, quae Fabrettus ante ipſum ediderat, praeclariſſimum habitum eſt. Et ſane id illo egregie hoc opere eſt aſſecutus, ut veterum inſcriptionum cognitio, quam antea nonniſi difficulter ac temere aſſequi poteramus, ea nunc & facile & ordinatim haud ita magno labore ab unoquoque comparari poſſit. Quam ob rem multum huic litteratorum rempublicam debere nemo eſt qui non fateatur. Sed, qui ſit hujus operis ordo, perſequamur, de cujus ratione niſi aliqua docuerimus, multa ſane atque praeclara erunt, quae de eruditiſſimo hoc homine prorſus ignorabuntur. Neque enim Fabrettus ita

de unaquaque re ſcripſit, ut in ejus unius diſquiſitione in univerſo opere ſemper immoratus ſit, ſed multa ex occaſione ibidem varia ac ſingularia interſeruit ad alias omnino res pertinentia, quae ſane, dum de ejus libris loquimur, a cetero opere omnino ſunt diſtinguenda, ne, quae praecipua hujus operis ornamenta ſunt, aut ignorare aut reticere videamur. Sed ad propoſitum redeamus. Inſcriptionum opus ad claſſes quaſdam redigit, eaſque ita in unaquaque claſſe recenſet, ut altera alteri lumen afferat. Exhibet ille primum earum aliquam, quae apud ſe aſſervantur, eamque ceteris & Romanorum numerorum nota, & lineis circumquaque obeuntibus diſtinguit. Adjicit deinde ad eam illuſtrandam alias permultas, quas aut ipſe per ſe legerat, aut ex ſchedis Barberinis collectas habebat, quas inter omnes, illud mirum, pene nullam occurrere, quae aut vulgaris ſit, aut non maximo adjumento ad veterum tum Ethnicorum, tum Chriſtianorum ritus cognoſcendos eſſe poſſit. In paginae vero calce animadverſiones idem apponit ſuas; atque iis perpetuo ſermone Gaſ-

parem Fabrettum fratris filium inſtituit. Explicat ille primo tabellas illas, ſeu titulos, qui ollis cinerariis inſcripti contractas nominum notas exhibebant, eoſque negligi debere negat, cum ex iis praecipue tum ollarum ipſarum ratio, tum praenominum notitia peti poſſit. Tum de columbariis ſive loculis illis loquitur, in quibus a veteribus ollae cinerariae condebantur, atque opinionem Reineſii refellit, qui columbaria ad loci locationem pertinere putarit, in quo columbae alerentur. Multis deinde ad eamdem rem pertinentibus adjectis, uno inſcriptionum ſubſidio contra Alexandrum ab Alexandro evincit, tam cremandi quam humandi ritum ita apud veteres invaluiſſe, ut non lege aliqua conſtitutus, verum ſola conſuetudine in more poſitus eſſet; contenditque, quae corpora prius humi condebantur, crebrius poſthac a veteribus cremari conſueſſe, eamque conſuetudinem uſque ad Theodoſii Magni tempora permanſiſſe. Horum autem columbariorum ac titulorum exhibet ille ibidem figuras diligenter expreſſas. Mox de operculis diſſerens, quibus eaedem cinerariae urnae contegeban-

tur, oſtendit horum foramina recipiendis parentum & conjugum lacrimis in primis inſerviſſe, ac de mortuorum manibus ibidem multa diſſerit, quae ab antiquitatis amatoribus omnino perlegenda ſunt. Monumenta deinde illa exponit, in quibus mutui parentum, conjugum, atque filiorum affectus exprimuntur, ibique, occaſione oblata, de cohortibus praetorianis multa inſerit, earumque numerum pro temporum varietate accurate recenſet. Affert deinde vetuſtiſſimum orationis fragmentum, quod e muſeo Carpineo depromit, ejuſque partem conjectura quadam ſupplere ſtudet, clariſſimamque Helvidiorum ſtirpem inde a Cecinna Peto atque Arria accurata ſerie mirabiliter deducit. Multa etiam de ratione Aſciae exponit, quae ſummo inciſa lapide eruditorum conjecturas in diverſa ſtudia diſtraxit; multa de Teſtacei collis origine, de quo nemo veterum locutus eſt ante Sextum Aurelium Victorem, & ſcriptorem notitiae Imperii, qui collem hunc Dolioli nomine a veteribus nuncupatum memorant. Progreditur deinde ad explanandas inſcriptiones eas, quae conjugum affectus exhi-

bent, oſtenditque ibidem, nullam apud veteres inſcriptionem hujuſmodi fuiſſe, quae non hyperbolica ſit; multaque ſimul inſerit de Vigilum militia, eorumque cohortibus, de vicariis, de conjugibus virginiis ſeu univiris, ac de iis, in quorum vita obituque annorum, menſium, dierumque numerus exaequatus eſt. Inſcriptiones itidem nonnullas profert canibus atque aviculis appoſitas, inter quas ſingulare omnino eſt luſciniae epitaphium, quod in antiquo vaſe perexiguis litteris inſcriptum legitur. Loquitur deinde de iis, quae invicem ſibi ſervi, domini, atque amici ſepulcris inſcripſere, in quo capite de equitibus ſingularibus, de Caſtris prioribus, de Octoviris ac Seviris auguſtalibus, aliiſque equeſtri militiae cognitis multa eruditiſſime perſequitur, iiſque nonnulla etiam de viis Latina, Lavicana, Praeneſtina adjicit. Poſt haec ad ſacra, miniſtroſque ſacrorum procedens lapides edit Aegyptia ſuperſtitione imbutos, horumque Romae duos, tertium Urbini inventos; poſtque illos Graecum Herophili epithaphium elegantia non minus, quam pergrata ſimplicitate ſingulare. Tum

Bacchanalium originem ex Livio repetit; atque S. C. ab eodem Hiſtorico cap. XVIII libri XXXIX. paucis comprehenſum perantiquo illuſtrat monumento, Poſthumio Conſule, priſcoque ſcribendi more exarato, atque in tabula aerea inciſo, quod ex illa exceptum Auguſtinus Scilla pictor Meſſanenſis Fabretto tradiderat. Sermonem deinde de Accenſis inſtituit, quaeque de iis a Salmaſio dicta ſunt per ſumma capita expendens aut reprobat, aut confirmat. Addit nonnulla de nominibus novorum civium, de Dea Feronia ejuſque ſano, de Concordiae, Victimariorumque collegio, de templo a Lucullo felicitati conſtituto, de Oſiride, ac Serapide, quae nomina ad unum idemque numen pertinere confirmat; atque haec omnia monumentorum ope luculenter illuſtrat. Gruterum mox, Urſatum, ac Smetium reprehendit; quod Figlinarum notas adeo leviter attigerint, cum illae praeſertim & Faſtis, ſi quis error irrepſerit, emendandis, & temporibus, quibus inſtructa ſunt aedificia, & locis quorum notitia deeſt, cognoſcendis, maximo ſint adjumento. Itaque ille haec monumenta elemento-

mentorum ordine diſponit, ſimulque Conſi-lum nomina, quorum quidem in Figlinis memoria extat, eadem ſerie recenſet. Neque hic illa omittenda, quae contra Lucam Petum de veterum ponderibus diſputat: adverſus enim eum contendit, noſtra haec antiquis nullo modo majora eſſe, quibus nonnulla etiam addit de Hercule, qui tum a Romanis, tum ab Etruſcis cuſtos ponderum habitus eſt. Singularia etiam illa ſunt, quae exponit deinde de orbiculis oſſeis miſſilibus utrimque numiſmatum more inſcriptis, de pilulis ex foſſili cryſtallo elaboratis, de amuletis, ſive, quos vocant Arabes, de lapillis Taliſmanis, quos ille omnes ad Mithram, ſeu Solem refert. Hiſce omnibus expoſitis, Chriſtianorum monumentorum ſeriem poſt Boſium & Aringhium recenſens, adeo ſcite ac dilucide omnia interpretatur atque illuſtrat, ut rarum omnino opus efficiat. Praeclariſſimum hic (ut cetera omittam) monumentum eſt illud ab eodem ex caemeterio B. Caſtuli erutum, quod exhibet n. LXX. ex quo maximum Chriſtianae hiſtoriae lumen additum eſſe cum eruditi omnes fatentur, tum Nori-

ſius praeſertim, qui Fabretto, qui eidem hanc inſcriptionem miſerat, reſpondens, monumentum hoc unum ceteris omnibus ab eodem inventis eſſe anteferendum oſtendit: hujuſmodi enim eſſe dicit, ut poſt Paſchalem S. Hippolyti canonem, qui inſcriptus marmori in bibliotheca Vaticana aſſervatur, altera haec extat inſcriptio, quae paſchalis ſit, niſi quod illa Hippolyti Graeca eſt, haec Latina. Noriſius idem paullo poſt hanc illuſtravit, ut videre eſt in ejuſdem animadverſionibus *in Faſtos Conſulares Anonimi*. Neque minoris aeſtimanda illa puto, quae in eodem libro de indiciis martyrii diſputat, ac de ampullis ſanguine triumphali refertis, quae in ſacris caemeteriis juxta Sanctorum Martyrum loculos inveniuntur, quae omnia certiſſima martyrii ſigna eſſe ita evincit, ut locum dubitationi nullum relinquat. Ac de ſanguine praecipue, qui in ampullis invenitur, affert ille epiſtolae partem ſibi a Leibnitio miſſae, in qua egregius ille philoſophus oſtendit, ſe ſalium ope particulas humoris illius, qui ſacris phialis adhaereret, ſolviſſe, eaſque verum eſſe ſanguinem deprehendiſſe. Haeretici

enim nonnulli, quibus Romae jampridem ſacra caemeteria Fabrettus oſtenderat, hominem irridentes, qui vaſa illa ſanguine olim plena fuiſſe affirmaſſet, decolorationem illam ex terreno humore repetendam eſſe contendebant, illud Ciceronis lib. II. de Divinatione afferentes: *Decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxime poteſt ſanguinis ſimilis eſſe.* Leguntur etiam in ea monumentorum claſſe quamplurima ad Chriſtianorum antiquorum ritus atque uſus pertinentia, quorum cognitio ad hanc hiſtoriae partem intelligendam prorſus neceſſaria eſt. His illa accedunt, quae de nominibus gentilitiis, de Dendrophoris, ac de lamina illa exponit, quae apud Canuſium reperta, atque a Nicolao Bonio in lucem edita integrum Decurionum, ſive Centumvirorum numerum explet, patronis, praetexſtatiſque ſeparatis, quos ſubinde recenſet. Abſolvit denique opus, iis additis inſcriptionibus, quae vel ſuperfuerunt, vel, opere jam abſoluto, cognitae ab eo demum ſunt atque acquiſitae. Leguntur & in his nova quaedam, quae omnino cognoſcenda ſunt. Oſtendit enim contra Gothofredi opinionem

frumentum aeneum, ſive aenum ad civitatem Carthaginienſem nequaquam ſpectaſſe, ſed & Romae aſſervatum, & ibidem diſtributum fuiſſe. Addit Juliam Domnam non (id quod multis viſum eſt) novercam, verum Caracallae matrem fuiſſe, atque eam ab eodem Imperatore nequaquam uxoris loco habitam eſſe contra Spartianum evincit. Celeberrimum deinde triumphi a Tiberio Claudio de Britannis relati monumentum ſupplet, quod olim in arcu legebatur eidem Imperatori in via, quam latam vocant, excitatum; nunc vero in Barberinis aedibus a Joanne Chiffletio, ut puto, inſtauratum aſſervatur. Hoc ille a Gaudentio Gozzeſio, qui idem antea ſuppleverat, perperam reſtauratum contendit, & multis rationibus perſuadet. Paucis ille quidem maximam hanc controverſiam in eo libro expedit: verum multo plura idem hac de re ſcripſit, quae nunquam publici juris facta fuere, quaeque ex bibliothecà Barberina, ubi nunc deliteſcunt, exſcripta apud me ſunt. Extat adhuc Romae in aedibus Octobonianis Fabretti inſcriptio, quae tunc ibi eſt affixa, cum Alexander VII. ad

viam latam, feriatae Urbis ippodromum, liberam rectamque reddendam Tiberii arcum, de quo locuti ſumus, demoliri juſſit. Eſt autem inſcriptio haec ſimplicitate ſua Auguſti aetate digna, & ex qua una intelligi poſſit quantum in eo ſcribendi genere Fabrettus valuerit. Sed ad ejuſdem opus redeamus. Aliud etiam ibidem Barberinorum fragmentum inſtaurat, quod lex Collegii Aeſculapii & Hygiae inſcribitur, atque inter praeclariora antiquitatis monumenta recenſetur. Florae deinde pudicitiam cum Oüzelio a Minuccii Felicis & Lactantii criminationibus vindicat; ac de ſitu Laurentini Pliniani loquitur, atque ita praeclariſſimum hoc opus abſolvit, ut quaecumque a ſe dicta ſint & veterum ſcriptorum auctoritate, & monumentorum teſtimonio mirum in modum ſint confirmata. Adjacet huic operi Theſauri Gruteriani accuratiſſima caſtigatio ab eodem tunc confecta, cum tantum opus Baſileenſes iterum excudere meditabantur. Utinam egregiae huic collectioni index aliquis adjaceret, quo ea, quae paſſim diſperſa jacent, in unum colligerentur, atque ad claſſes, quas

Scaligerianas vocant, revocarentur. Licet enim per partes quaſdam opus omne diſtributum ſit, tamen praecipua monumentorum pars nequaquam hujuſmodi eſt, ut ad claſſes illas omnino pertineat, in quibus eadem monumenta exhibentur. Neque enim hic ſcopus Fabretti fuit, ut quaſcumque inſcriptiones in unum locum congeſſiſſet, hae ad ipſum pertinerent, ſed id unum voluit, ut quod ordinatim explicandum ſuſcepiſſet, id ope monumentorum quorumcumque conficeret; quod egregie praeſtitit. Non deerunt fortaſſe, qui laborioſum opus hoc aggrediantur; ex quo fiet, ut collectio haec, quae pleriſque dignitate praeſtat, omnibus deinde etiam utilitate ſit anteponenda. Hunc ſane indicem Fabrettus, ut multi contendunt, confecerat, eumque nunc una cum illo, quem Mathaeus Aegyptius ſibi digeſſit, in bibliotheca Vaticana aſſervari affirmant. Certe Franciſcus Zaccharia vir doctrinae laude commendatiſſimus, qui ſaepe de hac Fabretti collectione mentionem facit in eo libro, quem ſuperioribus diebus *de arte Antiquario-lapidaria* in lucem edidit, haud exiguam hujus in-

dicis partem Piſauri apud Marchionem Muſcam ſe vidiſſe mihi teſtatus eſt. Extat etiam in Mutinenſis Ducis bibliotheca ejuſdem indicis pars haud exigua, quam ſibi Ludovicus Muratorius confecit, eademque Fabretti inſcriptionibus adjacet adnexa. Inſcriptiones in hoc volumine exhibentur DCLXXXII. ſupra MMMM. quarum CCCCXXXIII. ex quibus ejus muſeum conficiebatur, quaſque praecipue illuſtrandas ſuſceperat, aut ex ſacris caemeteriis, aut ex agro Romano effoderat, ut ſupra dictum eſt; reliquas vero ex muſeis amicorum, ac praeſertim ex iis excerpſerat, quas Franciſcus Barberinus ſenior Cardinalis ope clariſſimorum virorum Leonis Allaccii, Hieronymi Aleandri, Lucae Holſtenii, Caroli Moronis, Joſephi Suareſii, Joann. Baptiſtae Donii, aliorumque, ex omni terrarum orbe, unde exſcribi poterant, collectas habebat, quarum ſane numerus longe Gruterianum excedit. Id enim clariſſimus vir cogitabat, ut ex iis novum theſaurum conficeret, quo ea, quae Grutero deſunt, ſupplerentur. Ceterum multum ſe debere profitetur Fabrettus Joſepho de Juliis, Philippo

Turrio, Philippo Bonarrotio, Franciſco Blanchinio, quos in hoc opere conficiendo tanto ſibi ſubſidio fuiſſe dicit, quanto doctiſſimi viri Pighius, Veslerus, Smetius Grutero fuerunt. Atque hoc loco praetermittenda non eſt ſumma ejus & in exprimendis e marmore veterum inſcriptionum litteris ſolertia, & in univerſo opere excudendo diligentia: etenim ne quis elementorum apex vel minimus deperiret, nolebat ille omnem omnino terram, quae litteris in lapidibus inciſis inſederat, eaſque oppleverat, a foſſoribus excuti, ſed abſterſo leviter marmore, & humefacta papyro ſuperimpoſita, eaque linteolo circumvoluto, ſive arida ſpongia compreſſa; illud aſſequebatur, ut litterarum, quotquot extabant, veſtigia, partim ipſarum ſulculis, partim etiam terrae particulis eidem papyro adhaereſcentibus, mirum in modum expreſſa conſpicerentur. Neque minor in ea collectione excudenda Fabretti diligentia fuit. Neque enim ille ſolum, quemadmodum Juſtus Fontaninius ſcribit in ſua Italicae eloquentiae bibliotheca, typorum formas domi habere voluit, verum etiam idem characterum pagel-

las ſua manu componebat, quae deinde a Dominico Antonio Hercule typographo imprimebantur. Ex quo factum eſt, ut inſcriptiones omnes, quae in eo libro exhibentur, exemplaribus ſuis mirifice reſpondeant: quod ſane in ceterorum libris, in quibus hujuſmodi monumenta conſpiciuntur, adeo rarum eſt, ut vix unum & alterum mendis hujuſmodi carentem hactenus in lucem prodiiſſe putem. Adſunt quidem in hoc opere monumenta nonnulla, quae a Scipione Maffejo in controverſiam vocantur; verum ea tam pauca ſunt, ut, quemadmodum idem Maffejus ait in eo libro, quem *de arte critica lapidaria* ſcripſit, prima haec collectio dici poſſit, quae ſpuriis & commentitiis inſcriptionibus tam foedum in modum non ſcateat; quarum, cum in tanto epigrammatum numero nulla ratio habenda ſit, idcirco eam ceterarum omnium emendatiſſimam arbitratur. Marmora Fabretti omnia, quae in eo libro illuſtrata fuere; Urbinum magno ſumptu delata diu in ejus ſuburbano apud heredes permanſerunt, donec, iiſdem annuentibus, a Jo. Franciſco Stoppano Cardinali Urbini Legato an. MDCCLVI

una cum ceteris provinciae illius monumentis in aedibus Ducum ad univerſae Italiae ornamentum ac decus collocata fuere. Scio equidem, nonnullos mirari qui factum ſit, ut inſcriptionum volumina, cum ex iiſdem typis omnia prodierint, tamen non eamdem frontem omnia, neque eumdem annum praeferant, cum alia annum MDCLXXXXIX. alia MDCCII. exhibeant. Quod idem Juſtus Fontaninius a Galera quodam typographo factum eſſe dicit, cui eadem volumina pene omnia ab heredibus vendita fuere. Itaque paucis illis exceptis, quae, Fabretto vivente, in publicum prodiere, quaeque hyſtricis nota diſtincta annum MDCLXXXXIX. praeferunt, reliqua frontibus omnino ſuppoſitis omnia conſpiciuntur, quamvis eodem anno omnia, iiſdemque formis fuerint excuſa. Atque haec de Fabretti operibus dicta ſint ſatis: nunc ad eum revertamur, qui cum in hiſce conficiendis toto animo occupatus LXXXI. aetatis annum expleſſet, cumque & ingenii & doctrinae fama apud omnes gentes creviſſet, nimia fortaſſe ſtudiorum contentione, quibus nullo pacto unquam ſibi temperare

potuit, in morbum incidit. Cum hoc ille quidem diu multumque conflictatus eſt, idemque hominem extinxiſſet, niſi tum medicorum opera, tum diligentia domeſticorum factum fuiſſet, ut poſt multum temporis tandem vis febrium remitteret. Non ille tamen ita relevatus eſt; ut priſtinis viribus amplius uti potuerit: quin ab eo tempore adeo capitis vertiginibus corripiebatur, ut ſaepe inter domeſticorum manus, qui illi ſemper aderant, miſerandum in modum collaberetur. In cutim deinde morbus prorupit, in qua tanta leprae vis repente apparuit, ut nulla pars corporis eſſet, quam non ea morbi foeditas deformaret. Haec autem incommoda mira animi tranquillitate perferebat Fabrettus; nihilque erat cur aut animum deſponderet, aut moerori ſe daret; verum perinde ac ſi valetudine eſſet integra, eodem vivendi inſtituto utebatur, & in priſtina ſtudiorum contentione obfirmato animo permanebat; niſi quod interdum ad aliquam animi relaxationem amoeniora Urbis loca curru vectus obibat. Hoc homini fatale fuit. Aſpera erat hiems, & frigora in Urbe ma-

xima. Fabrettus cum extra portam Viminalem in ea via, quae Nomentana appellatur, aegritudinem animi levaturus, longius eſſet provectus, hora noctis ſecunda cum febri domum rediit. Puſtularum copia, quibus paullo ante cutis circumquaque ſcatebat, nuſquam apparuit; morbus enim vi frigoris regreſſus ad inteſtina deſcenderat. Accerſiti confeſtim medici, hominem ad interitum ruere pronunciant, niſi purulentus ille humor item ad cutim revocetur. Hoc cum nulla medicinae ope praeſtari poſſet, Fabrettum monent vitae exitum imminere, quare & ſibi & domeſticis rebus eſſe conſulendum. Hac illa denunciatione tantum abfuit ut perterreretur, ut potius hilariori vultu, quam conſueverat, altam animi ſecuritatem indicante, ad omnia paratum ſe eſſe dixerit, quae a Deo Optimo Maximo de ſe conſtituerentur; optare idcirco, ut quam citiſſime fieri poſſet, ſacris omnibus, quae ad religionem pertinent, rite procuraretur. Geſtus eſt ſtatim ei mos, nullaque interpoſita mora, ſacris omnibus de Eccleſiae more expiatus eſt. In quo adeo pietas & conſtantia inte-

gerrimi viri enituit, ut qui aderant lacrymas tenere vix poſſent. Deficientem enim eum videbant, quem, quamvis mortalis eſſet, tamen propter eximiam religionem ac doctrinam ſuam immortalem eſſe voluiſſent. Morbus exinde in dies vehementius eſt auctus, neque ejus impetus ulla ratione amplius cohiberi potuit: itaque ejus vi ceſſit Fabrettus XIV. poſt diem, ex quo iterum decubuerat. Deſideratus eſt optimus ſenex VII. Id. Januarii anno MDCC. annos natus LXXXI. menſes VI. Fabretto demortuo, ſtatim ſe litteraria reſpublica magno ornamento ſpoliatam ſenſit, omnique doloris ſignificatione clariſſimi viri interitum eſt proſecuta. Idem per univerſam Italiam viri principes multi praeſtiterunt, qui Fabretti eruditionem jampridem ſuſpexerant: inter quos Cardinales duo ampliſſimi recenſendi ſunt, Joannes Franciſcus Albanus, qui paucos poſt menſes ad Maximum Pontificatum eſt evectus, vocatuſque Clemens XI., & Gaſpar Carpineus, quorum alter ita de Fabretti valetudine ſollicitus fuit, ut eumdem aegrotantem ſaepiſſime inviſerit, alter vero eidem de rebus domeſticis teſta-

mento conſtituenti adeſſe voluerit. Is autem doctorum virorum, qui Romae aderant, concurſus domum ejus, dum aegrotaret, eſt factus, ut qui eum non inviſerit, in litteratorum virorum numero vix recenſendus videretur. Mortuus eſt Fabrettus in ea domo quam in regione, quae Leonina vocatur, ad S. Petri conduxerat, captus tum locorum ſolitudine, tum eleganti domus ipſius conſtructione. Balthaſſar enim Peruzius Senenſis, qui multum pingendi & architectandi arte Romae floruerat, ita eam domum digeſſerat, ut neſcio quid nobile ac pervetuſtum referret, quo maxime Fabrettus capiebatur. Ex ea domo nobili funere elatus eſt, atque in S. Mariae ſupra Minervam, quemadmodum teſtamento juſſerat, poſt exſequias magna pompa celebratas, conditus eſt in fratris ſui ſepulcro. De ejus morte ubi Urbinum perlatum eſt, ibi etiam nobili funere eſt honeſtatus, & luculenta oratione a Bonaventura Creſcimbenio e Clericis Regularibus pauperum Matris Dei laudatus. Fuit Fabrettus natura non aſpera illa quidem, ſed provocatus iracundiam non cohibuit, & aculeum

in adverſariorum ſuorum cute altius infixum reliquit. Simultates etiam cum potentibus viris geſſit, ſi quando ſuam ipſis virtutem aut inviſam, aut minus probatam exiſtimavit. Haec ſi excipias, optimis cetera moribus, atque integerrimis fuit, & Chriſtiano homine ac pio dignis. Omnibus religionis officiis cumulatiſſime ſatisfecit, nec quidquam abs ſe deſiderari paſſus eſt, quod ab homine eccleſiaſticis miniſteriis addicto requirebatur. Praeter Subdiaconatum nullos alios ſacros ſuſcepit ordines, eodemque ſenex initiatus eſt. Ab avaritiae ſordibus ſemper abhorruit: indignum enim homine ingenuo exiſtimabat plura expetere, quam quae ad vitam aliqua cum dignitate alendam neceſſaria arbitraretur. In quo adeo ſevere ſe geſſit, ut magni pretii munera a viris principibus ultro oblata coſtanti animo non ſemel rejecerit. Ingenio uſus eſt acerrimo, memoria tenaciſſima, ut a natura ipſa ad antiquitatis inveſtigationem non dicam comparatus, ſed prorſus effictus eſſe putaretur. De hujuſmodi rebus ſagaciſſime judicabat, atque in res ipſas, quod paucorum eſt, diſquirendo, penitus invadebat.

latentemque inde veritatem eliciebat. Hac in ſcientia, ut omnes fatentur, neminem ſuperiorem, vix aliquos pares habuit. Idem multarum gentium ſermone locutus eſt: Graecam vero, Latinam, atque Italicam linguam egregie calluit. Prudentia ac dexteritate fuit ſingulari; fide, probitate, & humanitate mirifice excelluit. Grata in loquendo feſtivitas, amoena comitas, non arte quaeſitus, lepos, pudor autem quidam ingenuus maxime hominem commendabant: ex quo fiebat, ut non ſolum aequalium animos ſibi facile demereret, verum etiam apud viros principes multum valeret gratia. Itaque & amabatur a multis, & magni eidem honores ultro deferebantur. Inter hos illud Romae ſingulare, quod in Patriciorum coetum una cum gente ſua fuerit cooptatus. Statura fuit procera, pleno dignitatis aſpectu, oblongo ore, vividis oculis, inceſſu vero ita ad gravitatem compoſito, ut ceterorum reverentiam ſibi conciliaret. Capillos nunquam coluit, qui a fronte ad ſupercilia profluentes ſeveritatem hominis indicabant. Valetudine uſque ad annum aetatis XXX. quemad-

modum

modum ipſe fatebatur, pene aſſidue laboravit; ex quo quidem tempore ita virium firmitate floruit, ut vel in ipſa ſenectute nec laborum magnitudine, nec aſſidua ſtudiorum contentione unquam defatigaretur. Arcadicis conventibus, paſtoritio Jaſithei Naphilii nomine adſcito, frequens intererat, atque in eum coetum peculiari ſtudio ferebatur, eumdemque carminibus ſuis identidem honeſtabat. Extat apud Marium Creſcimbenium in Tomo. III. Commentariorum Italicum Fabretti epigramma ſumma elegantia conſcriptum. Idem *Surdorum*, ut vocant, Academiam, quae Urbini floret, ſuo nomine nobilitavit. Hunc tum domeſtici, tum externi plurimi fecerunt, & tanquam lumen aliquod ad diſſipandas a vetuſtate obductas rebus tenebras exortum ſuſpexerunt: neque ullus fere ſuo tempore de rebus antiquis, aut ad Urbem aliquo modo ſpectantibus ſcripſit, quin honeſtiſſimam de eo mentionem fecerit. Inter hos eminent ex externis Gisbertus Cuperus, Laurentius Begerus, Bernardus Monfouconus, Joannes Mabillonus, Wilhelmus Neeſwodus, Joannes Harduinus; ex no-

ſtris vero Henricus Noriſius, Scipio Maffejus, Janus Vincentius Gravina, Franciſcus Mediobarbus, Caeſar Malvaſia, Franciſcus Blanchinius, Franciſcus Eſchinardus, Jacobus Pignattellus, Joannes Ciampinius, Marius Creſcimbenius, Philippus Turrius, Gaudentius Robertius, Vincentius Cornellius, Joannes Polenius aliique. Qui vero conſecuti ſunt iisdem de rebus ſcriptores eumdem homini meritiſſimo honorem habuerunt; quod cum paſſim in recentiorum omnium ſcriptis, tum praecipue in eruditorum ad Magliabechium epiſtolis agnoſcimus; inter quos etſi non deſint, qui Fabretto identidem refragentur, plerique tamen & ejusdem doctrinam ſummis laudibus extollunt, & eum vetuſtatis conſultiſſimum praedicant. Quo nomine ei plurimum debet Italia noſtra, quae ſicuti ſupra ceteras orbis terrarum regiones veterum monumentorum copia abundat, ita eum nacta eſt virum, qui ſuo labore haec maxime illuſtravit, exteroſque omnes, qui harum rerum ſtudio mirifice delectati ſunt, & ingenii ſagacitate, & indagandi ſolertia, & judicandi felicitate longe ſuperavit. Ex-

citatum eſt Fabretto monumentum, quemadmodum ipſe moriens juſſerat, a Gaſpare Joſephi fratris ſui filio in eodem templo, in quo jampridem ſepultus fuerat; additumque monumento hoc elogium, quod Dominicus Riviera, qui poſtea Cardinalis fuit, quique viventi Fabretto in tabularii Pontificii procuratione adjutor fuerat conſtitutus, ſic eleganter exaravit.

D. O. M.

RAPHAELI FABRETTO GASPARIS F.

VINCENTII N. PATRITIO

URBINATI EX S. C.

OB ANTIQUITATES URBIS ILLUSTRATAS

IN ROMANOS PATRITIOS

CUM GENTE SVA ADLECTO

ALEXANDRO OCTAVO A SUPPLICIBUS LIBELLIS

VATICANAE BASILICAE CANONICO

ARCHIVII APOSTOLICI

MOLIS HADRIANAE PRAEF.

VIRO

ITALIS EXTERISQUE NOTISSIMO

QUI DUM AGRI ROMANI

DESCRIPTIONEM PARARET

OBIIT VII. ID. JAN. ANN.

A NAT. DOMINI MDCC.

GASPAR FABRETTUS JOSEPHI FRATRIS FILIUS

EX TESTAMENTO C. M. P.

OPE-

OPERA EDITA.

DE AQUIS ET AQUAEDUCTIBUS veteris Romae Diſſertationes III. Romae 1680. *in* 4., & ſecundo *Pariſiis apud Sebaſtianum Mambre* 1680. *in* 4. Graevius vero retulit easdem Diſſertationes ſuum *in Theſaurum Antiquitatum Romanarum* tom. 4.

DE COLUMNA TRAJANI SYNTAGMA cum explicatione veteris tabulae anaglyphae Homeri Iliadem, & ex Steſichoro, Arctino, & Leſche Ilii excidium continentis & Emiſſarii Lacus Fucini deſcriptione. Romae 1683. *in fol.*

JASITHEI AD GRUNNOVIUM (ſic enim per contemptum Gronovium appellat) *APOLOGEMA; in ejuſque Titivilitia ſive ſomnia de Tito Livio Animadverſiones. Neapoli* 1686. *in* 4.

INSCRIPTIONUM ANTIQUARUM, quae in aedibus paternis aſſervantur, explicatio & additamentum. Romae 1699. *in fol.*

DISSERTAZIONE, in cui ſi emendano alcuni errori ſeguiti nella deſcrizione del Lazio antico fatta dal P. Atanaſio Kilker. Extat. in Tom. III. *De' ſaggi di Diſſertazioni dell' Accademia Etruſca di Cortona p.* 221.

DISSERTATIO de aetate Codicis Biblici, qui apud Monachos S. Callixti Romae aſſervatur. Meminit de ea diſſertatione Ciampinius Tom. I. *vet. monum.* p. 135.

DE LEGE REGIA ad Janum Vinc. Gravinam epiſtola. Extat in hujus opere *de origine & progreſſu Juris Civilis.*

Extant praeterea plurimae ejusdem EPISTOLAE, quae varia Antiquitatis monumenta illuſtrant, eaeque ſparſim apud diverſos Auctores editae inveniuntur.

OPERA INEDITA.

LATIUM VETUS ILLUSTRATUM. Hoc opus morte interceptus minime abſolvit.

OSSERVAZIONI ſopra l' iſcrizione dell' Arco di Claudio ſupplita da Gauges de Gozze.

ANGELUS FABRONIUS

ALOYSIO LANZIO S. P. D.

Nihil minus velim quam obtundere te aut requiem quaerentem ex magnis occupationibus, aut aliquid ex te promentem, quod alios delectet, te ipſum laudibus illuſtret. Puto autem mea multum intereſſe ſapientum virorum conſilia exquirere, ac nihil proferre in lucem, quod antea illorum cenſorium judicium minime ſubiecerit. Qua in re non modo non negabo, ſed etiam ſemper & meminero, & praedicabo libenter, te mihi haud ſemel mirifico adjumento fuiſſe propter praeclaram eruditionem atque doctrinam, & praeſtans ingenium, quibus & acute & acriter vitia deprehendis, & quid ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum tenes. Saepe equidem audivi praeceptores tuos de te ſic praedicantes, quaſi de homine, qui artis praeceptis mirum in modum abundet, neque iis vulgaribus, quae in communibus libris extant, ſed aliis longe ſecretioribus ac reconditioribus, quae ex continua Graecorum Latinorumque Scriptorum lectione, &

quod potius eſt, ex ipſa rerum natura expreſſa tibi ipſe formaſti, quibuſque in dijudicandis & tuis & aliorum ſcriptis feliciter uteris. Atque adeo cum in nonnullorum ſcripta, quae pro elegantibus circumferuntur, ſeverius tibi libet inquirere, tot in illis naevos ad oculum demonſtras, ut judicium ultro ſuum reprehendant, quibus illa nimium placuerant. Sed quam raro pro tua modeſtia tranquillitatiſque amore (non omnes enim verum amamus) in alienis operibus, hanc in tuis ſemper adhibes ſeveritatem, ut eamdem ſaepe ſcriptionem, quam ab initio abſolutam undique facile ceteri judicaſſent, ſepties ac decies facere de integro non recuſes; adeo ex foecundiſſimae mentis ſinu novae ſubinde cogitationes, aliae aliis ornatiores effloreſcunt. Itaque ſimul ut occaſio mihi ſe. ſe obtulit de te loquendi cum Leopoldo Magno Etruriae Duce, non dubitavi ſummo illi ingeniorum aeſtimatori affirmare, neminem me noſſe (per illos enim dies obierat vir doctiſſimus, mihique amiciſſimus Raymundus Cocchius, qui Florentino Gazophilacio praeerat) qui illum omnis antiquitatis theſaurum te ornatius atque eruditius illuſtrare poſſet. Non tibi quidem modo,

ſed univerſae etiam gratulor Etruriae, quod judicium meum auctoritate ſua viſus ſit confirmare ſapientiſſimus Princeps; cumque in tanto tamque immenſo campo doctrinae tuae liceat vagari libere, non expectant ſolum, ſed etiam exigunt antiquitatis ſtudioſi, ut ea tandem in lucem proferas, quae dum rebus obſcuriſſimis lucem afferent, mirifice quoque nomen tuum illuſtrabunt. Quis numerare poteſt ſigna antiqui operis, toreumata, varioſque lapides admirabili veterum artificum ſculptura inſignes, numiſmata auro, argento, aere, omniſque generis monumenta Aegyptia, Etruſca, Graeca atque Romana longo atque infinito prope ſtudio collecta, atque in illum omnis eruditionis omniſque artis theſaurum, quo nullus certe in toto orbe copioſior atque illuſtrior, comportata? Nihil horum eſt, mi amiciſſime Lanzi (ſi pauca demas, quae divinitus a Bonarrotio aut ab aliis recte ſunt illuſtrata) quod explicatorem quodammodo non requirat atque efflagitet; & ex iis, quae jam confeciſti, quilibet judicium facere poteſt quid in poſterum, ſi vita ſuppetet, quam diuturnam & tranquillam tibi omnes boni exoptant, ſis confecturus. Iamdiu enim, Romae plus ſeptennio

Rhetorem agens, hiſce ſtudiis antiquitatis mirifica delectabaris; nuper vero, ut eadem liberius recoleres & copioſius augeres, in illa muſaeorum refertiſſima urbe annum ſolidum conſumpſiſti, innumera prope in adverſaria conjiciens, quae vel peritiſſimum erudire poſſent. Laetor etiam vehementer te multa ſepoſuiſſe, quae manu veluti ducent ad explananda veterum Etruſcorum monumenta, quorum plurima, variis itineribus ſuſceptis, per te videre, manibus attrectare, & inter ſe comparare potuiſti. In quo quidem eruditionis genere quamvis multi doctrina praeſtantes homines ſint verſati, multa tamen adeo obſcura extare adhuc judicantur, ut de iis facilius quid non ſint, quam quid ſint affirmare poſſimus. Ego quae te hic velle, quaeque ad te tuaque ſtudia pertinere arbitrabor, omnia diligenter curabo: quae cum faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non aſſequar. Quam amiciſſimi & grati hominis voluntatem ſi novo beneficio remunerandam arbitraberis, ita corriges hoc de Joannis Ciampinii vita commentariolum, ut totum aliud opus efficias. Vale.

Piſis IV. Kal. Mart. MDCCLXXX.

JOANNES JUSTUS CIAMPINIUS.

MAjores Joannis Juſti Ciampinii Bojolo, quod eſt Vallis-Telinae oppidum, Romam conceſſere ineunte ſaecŭlo XVI., ibique omnium rerum & fortunarum ſuarum ſedem collocarunt. Pater ejus Antonius, duabus funere elatis, tertiam duxit uxorem Margaritam Tagliettam veteri nobilitate feminam, ex qua Joannes natus eſt Romae id. April. anno MDCXXXIII. Ea fuit ratio optimorum parentum in inſtituendo magnae ſpei filio, ut potius conſuefacerent ipſum ſua ſponte recte facere quam alieno metu, & exemplis magis quam voce. Et quidem celebrabatur inter aequales tum modeſtia & probitate, tum ardore in ſtudiis, qua in re fraenis magis, quam calcaribus egere videbatur. Cum nondum ex pueritia exceſſiſſet, parentes amiſit, quem caſum diu & flebiliter lamentatus eſt. Atque illa, quidem ejus aetatula multis objecta fuit calamitatibus atque periculis. Nam unda, igne, & caſu parum abfuit quin necaretur. Nondum ipſe ſecum ſta-

tuerat quod vitae potiſſimum genus & ſtudiorum ſequeretur, cum multis rogatus eſt precibus a Fratre natu maximo, a quo totus pendebat, ut juris prudentiae & foro ſe addiceret. Et Fratris quidem auctoritas adducere potuit Joannem, ut in quaeſtuoſae artis curriculum deſcenderet, minime vero ut in ipſo permaneret; quare alium induſtriae ſuae campum quaeſivit, in quo non minus utilem Romanae Curiae operam ſuam fore ſperabat. Magna atque honorifica habentur ea in urbe munera, quae ad Apoſtolicas litteras pertinent, & in quibus res Cancellariae & Datariae, ut loquuntur, agitur. Haec ſpectans Ciampinius applicuit ſe ſe ad Petrum Gentilium, quem multa fide, multoque labore adjuvit in exequendis *Proſommiſtae*, *Subdatarii*, & *Abbreviatoris Curiae* muneribus. Mortuo Gentilio, in ejus locum ſucceſſit ipſius Ciampinii Frater, in quo adjuvando accedebat praeter ſpem praemiorum, etiam ſuavitas familiaris omninoque fraternae conjunctionis. Sed multa, quae videbantur ad ſortem tranquillitatemque parata, diſſipavit diſcordia, cujus cauſſa praecipua erat,

quod Joannes, qui nihil libero lectulo jucundius eſſe putabat, ad ducendam uxorem a Fratre propemodum adigebatur. Ille vero, quanquam iis, quae didicerat, quaeque ab adoleſcentia pulcherrime a ſapientiſſimis viris tradita memoria & ſcientia comprehenderat, hoc tempore uteretur, Fratris tamen mentem minime commovit, qui imperium exercere in ſuos omnino volebat. Itaque Roma ceſſit, cauſſatus periculum peſtilentiae, quae impendere urbi videbatur. In Sabinis primum fuit, deinde in Picenis, quo tempore haud mediocriter ſtudiis Maceratae vacavit, ibique doctrinae inſignibus per Bernardinum Uliſſium decoratus eſt. Cum Tolentini, quando feriabatur a ſtudiis, commoraretur apud amiciſſimum virum Alphonſum Montanum, qui urbi praeerat, liberius honeſtis oblectationibus indulgere ſolebat. Neque enim dubitabimus in ejus virtutibus commemorare ſaltaſſe eum commode, & muſicam tractaſſe, quae perdiſcere illi ludus fuit. Interea ſalubritate caelo reſtituta, acceptiſque litteris a Fratre, in quibus veteris amoris ſigna expreſſa videbantur, redeundum ſibi

Romam putavit. Sed cum perſeveraret in caelibis vitae amore, potioremque ſtudiorum & gloriae, quam rei familiaris curam haberet, ita recruduerunt diſſidia, ut domum deſerere coactus fuerit. Quemadmodum vero gravius aegrotant ii, qui cum levati morbo videntur, in eum de integro incidunt, ſic diſſoluta iterum gratia, acerbioribus diuturnioribuſque conflictatus eſt Joannes moleſtiis, qui nullis officiis lenire poterat indignantem & nauſeantem Fratrem. Animi angoribus frangi ac debilitari corpus oportebat; quare bis an. MDCLXVI. periculoſe aegrotavit. In his tamen aſperitatibus rerum obſequebatur ſtudiis ſuis, ea praeſertim colligens ac ſeponens, quae ad utramque antiquitatem, ac praeſertim ſacram illuſtrandam ſpectarent. Quibus rebus cum opinio ejus & fama quotidie creſceret non modo apud cives, verum etiam apud Pontifices, cumque praeſertim Clemente IX. P. M. magnum Ciampinii nomen in Urbe & in aula eſſet, effectum eſt ut praeteritarum contentionum Fratrem puderet, & cum Joanne, temporum non ſolum rationem habens, ſed etiam naturae

in gratiam redierit. Neque ita multo poſt, quam haec acciderunt, vita exceſſit Frater ipſe, qui caſus vix dici poteſt quam afflixerit atque perculerit Joannem, recogitantem illius moroſitatem habuiſſe aliquid excuſationis, ſeque ei magnis beneficiis devinctum atque obnoxium fuiſſe. Nam ejus commendationibus ac ſtudiis in primis factum, ut a Franciſco Cardinali Barberinio S. R. E. Cancellario *Proſommiſta*, & *Secretarius*; ab Innocentio X. *Subdatarius* & *Abbreviator Curiae*, Baſilicae S. Laurentii in Damaſo *Canonicus*, *Protonotarius Apoſtolicus*, & S. Baſilii de Turre Spatula *Abbas*; ab Alexandro vero VII. iterum *Subdatarius* (quanquam hoc beneficio uti noluit ſive modeſtia, ſive, quod probabilius eſt, majorum praemiorum ſpe) a Clemente demum IX. *Magiſter Brevium gratiae*, & *Praefectus Brevium juſtitiae* creatus fuerit. Doctrina & litterae, quibus ſemper uſus fuerat Ciampinius vel in adverſis rebus non modo ad oblectamentum, ſed etiam ad ſalutem, ita ad ſe otioſum, liberum, pacatumque animum ipſius invitarunt, ut in iis unis ille conquieſcere videretur. Quare de emit-

tendis ſcriptis quibusdam ſuis cogitare coepit, de quibus priusquam dicamus, illa, quae ad Ephemerides pertinent, paullo altius repetenda putamus. Franciſcus Nazarius Bergomas an. MDCLXVIII., non ſolum auctore, ſed etiam adjutore Michaele Angelo Riccio, omnium primus in Italia Ephemerides litteratorum ſcribendas ſuſceperat; uſus in iis imprimendis opera Tinaſſii. Ea poſtea acciderunt, quibus Tinaſſio Benedictus Carrara an. MDCLXXV. ſuffectus eſt, quod ille vehementer dolens, a Ciampinio etiam atque etiam poſtulavit, ne ſe deſereret, & novarum Ephemeridum conditor vellet eſſe. Paruit ejus voluntati Ciampinius non tam miſericordia, quam aemulatione commotus; cumque in ſubſidium vocaſſet Lucam Antonium Portium, Franciſcum Eſchinardium hominem e S. I. Philippum Bonarrotium, Dominicum Quarteronium, Franciſcum Brunaccium, & Franciſcum Mariam Honoratum, eodem, quem diximus, anno Ephemerides vulgare coepit. Quae cum vulgo judicarentur eruditione atque doctrina praeſtare Nazarianis, ea res plurimum valuit ad Ciampinium in

ſuſcepto conſilio confirmandum. Itaque per quadriennium Romae binae editae ſunt Ephemerides, quas facile a typographorum nomine diſtinxeris. Nam quae a Tinaſſio poſt annum MDCLXXIV. impreſſae ſunt, ad Ciampinium pertinent; quae vero a Carrara, aut a Maſcardio, Nazarium, ejuſque ſocios auctores habent. Interim cum averſum illum ab hac occupatione ad alia ſtudia ſe contuliſſe viderent amici, egerunt acerrime, ut jam languentem ac defeſſum ad priſtinam conſuetudinem revocarent; ſed magis animi quam ingenii viribus alia quaedam conſcripſit: ad extremum exeunte an. MCCLXXX., vel quod priſtinam aemulationis ſtudium in eo reſederat, qui aliis graviſſimiſque diſtentus eſſet occupationibus, vel quod ſaepe atque injuſte a librorum cenſoribus vexaretur, rem totam commiſit ingenio Victorii Praeſulis viri docti ſuique amantiſſimi. Atque ab eo quidem obtinuit, ut Ephemerides ad annum uſque MDCLXXXIII. perduceret; ſed ut ea, quae conſcripſerat, in vulgus ederet, minime impetrare potuit. Hac ſpe eluſus ad alia convertit animum: fuit enim in homine

mine incredibilis quidam ardor juvandi rempublicam promovendique doctrinas: hoc dum agit, tentare omnia, nullis difficultatibus deterreri, ubi aliquid non proceſſiſſet, alia excogitare, quae uſui bonis litteris poſſent eſſe. Miraberis profecto unum hominem potuiſſe adeo varia ſtudia non ſolum per ſe excolere, ſed multorum etiam mentes qua voce, qua exemplo, qua pecunia ad eadem provehenda excitare atque inflammare. Cogitaverant Riccius & Bona de inſtituenda Academia, cui rerum, quae ad hiſtoriam Eccleſiaſticam ſacroſque praeſertim canones pertinent, explicatio propoſita in primis eſſet, idque ipſum vehementer concupierat omnis praeclari operis fautor mirificus Clemens hujus nominis IX., ſed perfectae rei laus uni Ciampinio debetur, qui eum coetum ad S. Nicolai Tolentinatis primum convocavit. Et quoniam ſaepe ei concertandum fuit cum Academicis de ratione regendi, gubernandi, moderandique inſtitutam Academiam, ut auxilium a potentiore mutuaretur, eam ad Collegium, quod dicitur de Propaganda Fide, tranſtulit. Diu poſtea eadem floruit, ſemperque

viguit memoria Ciampinii, qui nobiliſſimi inſtituti parens (quanquam hanc laudem ſibi quoque aſſumeret Angelus de Nuce Roſſani Archiepiſcopus) jure dici poſſe videtur. Per idem tempus multis laboribus, multiſque impendiis effecit, ut quae Romae praeſertim languebant naturae ſtudia ad meliorem fortunam revocarentur. Simul atque ſe ipſe commovit, multos habuit oppugnatores, qui haec & per ſe inania, & homine, qui ſe omnemque operam ſuam Romanae Eccleſiae devoverat, prorſus indigna eſſe dictitarent. Cenſuit latendum paulliſper, dum eorum ſermones deferveſcerent; poſtea Chriſtinae Svecorum Reginae patrocinio ſuſtentatus ampliori cum gloria in conſpectum venit; & quo praeiret exemplo Academicis, quos domi ſuae octavo quoque die primum; deinde ſingulis quibuſque menſibus habere conſuevit, ſe in mechanicis, in opticis, in muſicis, in geometria, in naturali hiſtoria, atque in aſtronomia conterebat. Quoniam vero omnium errorum arbitrabatur initium eſſe, omnia mentis vi & ratiocinatione aſſequi velle, deque omnibus diſputare, intentata atque inex-

perta rerum natura, audax hoc philoſophandi genus ab Academia ſua eliminaſſe viſus eſt Ciampinius, illud omnium auribus inculcans, ut lenta ac conſiderata contemplatione naturam inveſtigarent, & niſi ad viſa, & accepta & confirmata ſenſibus aſſenſionem animorum adjungerent. Haec ratio, quae pleriſque incommoda viſa eſt, prudentioribus glorioſa apparuit, cum in tantam famam perveniſset Ciampinii Academia, ut illae Regiae cum Gallicae tum Britannicae Societates, quae totae erant in hujuſmodi ſtudiis, vehementer poſtulaverint, ut ſibi cum ea eſſet mutua rerum quaeſitarum inventarumque communicatio. Referabatur in commentaria quidquid proponebatur atque agitabatur in coetu, cui muneri praefuit primum Hieronymus Toſchius, qui omnes diligentia ſuperabat, & quidem ob ejus ab Urbe diſceſſum vix ſtare poſſe Academia pleriſque videbatur; ſucceſſit illi Ponthia, homo in coſtruendis teleſcopiis peritiſſimus, ac demum Auguſtinus Faber Cremonenſis, vir doctus ex diſciplina Carteſianorum. Propoſitum erat Ciampinio ea in vulgus edere, quae

ab Academia ſua phyſico-matematica (ſic enim appellabatur) per experimenta maxime quaerebantur, ſed dilata res, dum de ejus conficiendae ratione diſputaretur, ut plerumque accidit, ad nihilum venit, & quaedam ea ipſa de re ſcripta, quae a nonnullis extare putabantur in Vaticana bibliotheca, fruſtra a nobis eo in loco, atque alibi quaeſita fuere. Scimus vero ad Ciampinium pertinere barometrica multa, & ipſum per ſe confeciſſe barometrum LIII. palmis longum, & tubam ſtentorophonicam; neque ſolum in aeris, ſed etiam in aquae natura inveſtiganda; praeterea in lucis proprietatibus quaerendis, ac tubis opticis conficiendis plurimum illum conſumpſiſſe laboris & temporis. Dolebat interdum non ſatis ſibi eſse pecuniae ad comparanda inſtrumenta, quibus egebat Academia, experimenta habendi cauſsa; & cum ipſa quoque Chriſtina Regina ſaepe aerari anguſtias experiretur, omnino deeſse Romae patroni videbantur, ad quorum opem confugeret. Ejuſdem Reginae juſsu de amianto diſsertationem ſcripſit, ea perſequens omnia quae ad ejus naturam, rationemque ex eo

conficiendi telas ſpectabant. Cum ipſa quoque aſtrorum curſum contemplabatur, quod inflammari ſolitus erat ad omnem fere ſcientiarum genus, eoque magis tum incendebatur aſtronomiae ſtudio, quod cometae, qui in caelo apparuerant, omnium oculos ad ſeſe allicere videbantur. De his ſcripſit ad Jo. Dominicum Caſſinium, haud affirmare dubitans contra multorum ſententiam, *cometas minime fortuitos*, ut ait Seneca, *eſſe ignes; ſed intextos mundo; quos non frequenter educit, ſed in occulto movet*. In his ipſis contemplandis non ſolum propoſitum erat Ciampinio eorum curſus noſcere, ſed etiam vulgi de iis errores (quid enim infortunii per cometas tum praenuntiari non putabatur?) convellere. Quotidie ferme alia hujuſmodi quaerebat, ut judicari poſſet, eſſent ne quaedam, quae vere aut ſaltem probabiliter futura denuntiarent: num exempli gratia eſſet ſignum futurae pluviae

Scintillare oleum; & putres concreſcere fungos;

aut indicium ſaeviturí maris, ſi marinae

In ſicco ludunt fulicae, notaſque paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem

Dolendam vir prudentiſſimus ajebat philoſophiae vicem, quod nequiret ad veritatem pervenire, niſi prius infinitos errores atque commentitias fabellas expuliſſet, & bellum ſuſtinuiſſet acerbum cum ſuperſtitioſis hominibus & pene fanaticis, qui quidvis malle videntur, quam ſe non ineptiſſimos. Adde quod veritas ipſa, ut appareat, quaſi praeſtigiis quibusdam & captionibus egere videtur ad homines ad ſe ſe invitandos. Et ſane nunc minime laetaremur depulſam regno, quo jamdiu fruebatur, Peripateticorum & Scholaſticorum barbariem, invectamque per Galilaeum & Newtonum rectam philoſophandi rationem, niſi huic Carteſius audacia, qua pollebat, incredibili, & ſpecioſis opinionum commentis viam quodammodo ſtraviſſet. Sed illuc revertor. Jure gloriabatur in eo Ciampinius, quod aemulator eſſe videretur Leopoldi Cardinalis Medicei in phyſicae ſtudiis provehendis: ſed plurimum in-

tereſſe judicaveris inter Academiam Florentinam a Leopoldo & Romanam a Ciampinio inſtitutam. Illa multa nova, maximique momenti detexit, haec pauca; illa nihil amplectebatur, quod ſolidam & expreſſam veritatis effigiem non haberet, haec imaginem veri, & quaſi umbram aliquando captabat, quod ſaepe aliorum opinionibus nimium tribueret; illa unum ſpectabat doctrinae genus, atque in uno clivo deſudabat; haec in plures diſtracta operas, non de rebus phyſicis ſolum, verum etiam de iis, quae ad medicinam, ad anatomen, ad naturalem hiſtoriam, ad hydroſtaticam, ad aſtronomiam; & ad antiquitatem ipſam pertinerent, agebat; altera magnorum Principum liberalitate & praemiorum ſpe, altera privati fortunis & ſola laudis expectatione ſuſtentabatur; denique Leopoldina Florentiae alta, quae ſemper habita eſt omnium fere doctrinarum inventrix, & in qua rectam philoſophandi rationem non inventam modo, ſed etiam perfectam fuiſſe inter omnes conſtat; haec Romae nata, ubi diu potentioribus ſuſpecta atque inviſa phyſicae ac mathematicae ſtu-

dia fuerunt. Quare minime eſt mirandum, ſi non utramque eadem conſecuta eſt gloria. Et quoniam ſperabat Ciampinius fore ut aliquando emitterentur ſuae Academiae commentaria, aegre tulit Franciſcum Eſchinardium e Societate Jeſu quaedam a ſe propoſita in eadem Academia haud communia ſibi cum ceteris collegis eſſe voluiſſe, cum illa ſicuti propria in vulgus edidiſſet. Itaque graviter reprehendit amicum, quod alienae laudis invidus, & propriae nimium appetens eſse videretur. Ab eo tamen minime ſe ſejunxit, quia per ipſum (erat enim multarum doctrinarum ſtudioſiſſimus) maximas utilitates allatum iri Academiae confidebat. Venit aliquando Eſchinardius prope Tuſculum horologii ſolaris delineandi cauſſa, in quo cum elaboraret, tum comperit magnetem ad occidentem quinque gradibus primum, mox ad ſeptem uſque declinare, quod homini ita miraculo fuit, ut vetus illud uſurpaverit: *mundi machina deſtruitur*. Rem dignam putavit Ciampinius, de qua primores Academiae docerentur, & ſatis probabilem exiſtimabat ipſius Eſchinardii ſententiam, qui id

terraemotibus tribuebat. Et quidem ad eorum confirmandum errorem plurimum valuit, quod eodem tempore terraemotus horribilis Malagae factus eſt. Academia conſtitit apud Ciampinium ad annum uſque MDCLXXXIX. renovata poſtea in aedibus *Cancellariae* apud Ottobonium Cardinalem, ſcriptumque invenio haud mediocriter elaboraſſe Ciampinium ipſum an. MDCXCIV. in colligendis iis rebus, quae ad hanc novam Academiam pertinebant, quaſque publica luce dignas putabat. Valde illum quidem iſta delectabant, quamvis ambitio, honores, & quaedam etiam reipublicae procuratio multis eum officiis implicatum & conſtrictum tenerent. Itaque cum non poterat per ſe phyſicum aliquid tentare, ne obſoleſceret, jucundiſſimum ſtudium renovabat legendo. Nunquam tamen intermiſit coetus & ſermones eruditorum hominum apud ſe habere; & ejus domum dixiſses aut Gymnaſium, aut Muſarum templum, ita ea quotidie celebrabatur ab omnibus iis, qui aliquam ingenii doctrinaeque commendationem habebant, ita omni referta erat inſtrumento, quod ad liberales artes, ad omnem

eruditionem, & ad ſacram praeſertim & profanam antiquitatem noſcendam uſui eſse poſſet. Hac ratione multi ſe ſe invicem conſilio & opera in praeclaris conficiendis operibus adjuvabant; & laetabatur Ciampinius, quod plurium nobilium adoleſcentium naſcenti prope laudi, dignitati, virtutique ipſe praeeſset, & quod occaſionem & commoda omnibus ſuppeditaret in lucem hominum prodeundi. Quanquam fuit incredibilis nonnullorum perverſitas, qui malevolentiſſimis obtrectationibus de vetere illo ſuo diuturnoque inſtituto ipſum prope jam depulerint, quaſi clarorum virorum aut tacitos congreſsus eſse oporteat, aut ludicros ſermones, aut rerum colloquia leviorum. Sed vicit ejus conſtantia aliorum invidiam, neque alienae modo, ſed etiam ſuae conſuluit utilitati & gloriae, iis editis operibus, per quae ipſe ſperabat poſse ſe ad immortalitatem pervenire. Emiſit primum *conjecturas de perpetuo azymorum uſu in Eccleſia Latina, vel ſaltem Romana*, quem librum Innocentio XI. Pont. Max. nuncupavit. Jacobus Sirmondus unus eminere inter multos videtur, qui in ea fuerunt ſententia per octin-

gentos ſaltem annos uſam Latinam Eccleſiam in conſecranda Euchariſtia panibus fermentatis, qui a Chriſtianis offerebantur, nec azymum fuiſse ab ea receptum ante tempora ſchyſmatis Photiani, indeque factum, ut Michael Cerularius, Patriarcha Conſtantinopolitanus an. MXLIII. dictus, decem aut undecim poſt annos, ſedente ad Eccleſiae gubernaculum Leone IX. hac de re Latinos ipſos accuſaverit. Huic ſententiae viſus eſt plurimum ponderis addidiſse auctoritate ſua Cardinalis Bona, adeo ut multorum aures ea aetate ad hanc diſputationem paterent. De ea cum diſserendum ſuſcepiſset Ciampinius, modeſte ait ſe quaerere rationes eas, quae ex conjectura pendent, non quae adhibent perſuadendi neceſſitatem. Sed ita limatur veritas in eo, de quo nunc dicimus, libro, ut ipſum cum legeris, facile flectas judicium tuum adverſus eos, qui fermentatum panem interdum adhibuiſse Latinos affirmant. Non digreſſio extra cauſsam aliqua interponitur, cum de ſignificatione fermenti quaeritur, quin immo hoc praecipuum eſse judicaveris totius operis argumentum, quod ex Melchiadis,

Siricii & Innocentii SS. PP. decretis appareat, *oblationes*, quae ad Titulos & Eccleſias deferebantur, *fermenti* nomine fuiſse appellatas. Quod vero ii ipſi, qui conveniebant inter ſe de uſu perpetuo azymi apud Latinos, dum vim ejus vocis quaerunt, in diverſas abierant ſententias, eas proponit ſingulas Clampinius accurate & diligenter, ut tandem ſuam exponat, cujus haec eſse ſumma videtur. Chriſtiani more inſtitutoque majorum ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes in vaſis plerumque vitreis deferri ad ſuos coetus curabant per Acolythos panem ab Epiſcopo conſecratum. Eam ob rem conſtat Epiſcopum ipſum *oblatam* unam e pluribus, quas conſecraverat, tot in partes dividere conſueviſſe, quot erant Eccleſiae Titulares, ad quas hae particulae ſtatis atque ſolemnibus quibuſdam diebus mittebantur. His acceptis, Presbyteri Titulares ſacrum peragebant, & *oblatam*, quam ſinguli conſecraverant, cum ea, quae Pontificis voce dedicata fuerat, admiſcebant, quam admixtionem *fermenti* nomine donatam fuiſse non ſine argumentorum

copia contendit Ciampinius. Diſserit etiam de ritu illo, quo vinum conſecratum cum minime conſecrato, populi poſt communionem confirmandi cauſsa, miſcebatur, expenditque ſententiam Amalarii Fortunati inquirentis, quare binae particulae ſacri panis in calicem immitterentur, alioſque hujuſmodi ritus nonnullarum Eccleſiarum proprios exponit, quorum in veteribus *Ordinibus* veſtigia minime obſcura apparent. Sic magis magiſque elucet majorum noſtrorum ſapientia, qui ſacra, qui caerimonias ſanctiſſime coluerunt, & nobis ſuis poſteris prodiderunt. In extremo tandem libro de voce *ruga* diſputat, quod in *Ordine Romano* Hittorpii opera impreſso dicantur eſse, *qui rugam*, ſacrum peragente Pontifice, *obſervarent*. Significare enim putat Acolythos ad arcendam turbam, qua Pontifex tranſire debebat, deſtinatos, eique muneri recentioribus temporibus Caerimoniarum Magiſtros ſucceſſiſse. Huic operi cauſsam dediſſe ſcribit Ioſephum Mariam Thomaſium, non ſolum quod ab eo invitaretur, ut ad eaſdem ſe referret artes, quibus a primis temporibus aetatis ſtudium ſuum dedit, ſed etiam

ut extaret fructus mutuae amicitiae, qua nihil erat uberius praeſertim in iis ſtudiis, quibus uterque eorum devinctus erat. Quod vero ab eo interdum diſsentiret, veritatis amori non modo ignoſcebat Thomaſius, ſed ſummam quoque laudem tribuebat. Poſt haec Ciampinius de aedificiis a Conſtantino Imperatore extructis ſcribere inſtituit, ſequutus duces praeſertim Euſebium, & Anaſtaſium Bibliothecarium. Erant qui ſatis habere Euſebium auctoritatis putabant Orientis aedificia cenſentem, ſed nullam ſe debere fidem Anaſtaſio, qui res Occidentis quingentis & eo amplius poſt Conſtantinum annis deſcripſit. Quantum huic Scriptori tribuendum ſit auctoritatis oſtendere ſibi propoſuit Ciampinius, edito libro, quem inſcripſit: *Examen libri Pontificalis, ſive vitarum Romanorum Pontificum, quae ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur*, & ſummorum quidem hominum judicia, & teſtimonia multa habebat, quae pro ejus hiſtoriae gravitate in medium proferret. Judicat etiam de ſtylo Anaſtaſii, quem exaraſse tantummodo vitas Gregorii IV. Sergii II. Leonis IV. Benedicti III.

& Nicolai I. arbitratur, & quidnam eſset illud, quo ille differret a ceteris, qui aliorum Pontificum vitas explicarunt, ſatis perite exponit. Additus eſt libro *Sanctae Romanae Eccleſiae Bibliothecariorum catalogus juxta Chronologicum ordinem*, *& Parergon ad examen libri Pontificalis*, quo caſtigatur calumnia Jo. Launoii, qui cum referret particulam quamdam epiſtolae a Pio II. ad Carolum VII. Galliae Regem datae, non ad ſcriptoris, ſed ad ſuum ſenſum mala uſus fide, vocem *doctoribus* in *detractoribus* locum ſubſtituerat. Ait enim Summus Pontifex: *unum a te petimus, ut detractoribus Sedis Apoſtolicae ſemper non credas; ſed multa illorum paſſionibus tribuas*. Quamvis edita a Ciampinio de Anaſtaſio Bibliothecario docti judices approbaverint, ac laudaverint, latius tamen manavit Scheleſtratii & Blanchinii induſtria, qui rem eamdem poſtea tractarunt; neque ſane is erat cum his viris eruditionis copia & ſeverioris cujuſdam critices laude comparandus. Interea magnum & laborioſum opus urgebat, cui titulum fecit; *vetera monumenta, in quibus praecipue muſiva opera ſacrarum, profanarumque aedium*

ſtructura, *ac nonnulli antiqui ritus diſſertationibus*, *iconibuſque illuſtrantur*. Quae non modo occaſio, ſed etiam cauſſa hujus conficiendi operis fuerit, tali modo a Ciampinio narratur. Romam venerat vir quidam nobilitate & ingenio praeſtans, qui cum ſaepe conveniret Joannem Lucium, inſperanti ei accidit, ut ille in ſermonem de muſivis dilaberetur. Multa protulit Lucius, quae latebant in theſauris ſuis, ut quaeſitorem curioſum, ſi minus ſatiatum, at certe contentum dimitteret. Aderat Ciampinius utrique amicitia conjunctiſſimus; neque tum dubitavit quin, ſi quis maxime intentis oculis contemplaretur omnia in ſacris muſivis expreſſa, multa inde erui poſſent cognitione digniſſima, quae veterum Chriſtianorum mores, diſciplinam, ritus, denique omnia quae ad cultum Dei ac Sanctorum pertinent, optimo in lumine eſſent collocatura. Itaque experiri ipſe voluit quid poſſet, cohortante ipſo Lucio, qui cum eſſet ſumma ſenectute, & perdita valetudine, aliquid hujuſmodi per ſe conficere poſſe deſperabat. Sane commode diſtribuit Ciampinius totum opus in qua-

tuor partes. Atque in prima parte, quae prolegomenis attribuitur, quaeque edita eſt, an. MDCXC. ita de variis templorum generibus, quae in uſu fuerunt cum apud Ethnicos, tum apud Chriſtianos, agit, ut nihil in praeteritis relinquere voluiſſe videatur. Exponit quid interſit inter fana, templa & delubra, neque exponit modo, ſed ante oculos etiam ponit varias & multiformes templorum ſpecies, quae Antes, Proſtylos, Amphiproſtylos, Peripteros, Pſeudodipteros, Dipteros, Hypaethros Graecis nominibus a Vitruvio appellantur. Neque diligenter minus de iis Chriſtianorum aedibus diſſerit, quas Baſilicas dicimus, earum forma, omnibusque iis rebus, quae ad ipſas conſtruendas, ornandaſque adhibebantur, graphice deſcriptis. De veterum templorum valvis multa etiam commemorat, & de iis praeſertim, quae imaginibus ſanctorum hominum, horumque commemoratione, & formarum cognitione delectant. Ex harum omnium rerum deſcriptione infinita pene noveris, quae ſacram & profanam atiquitatem mirifice illuſtrant. Nobis quidem praeſertim

arrident ea, quae varium aedificandi modum pro variis temporibus exponunt, ut non ſine probabili conjectura judicare poſſis ſive ex materia, ſive ex forma, ſive ex ornatu, qua aetate quodlibet ſacrum aedificium extructum fuerit. Eam diſputationem cap. VIII. & IX. concluſam excipit tractatio de muſivis, quorum originem a Perſarum conſuetudine atque inventis repetit, ab iiſque Aſſyrios, Graecos atque Romanos artem eorumdem elaborandorum accepiſſe contendit. Quoniam non uno ſed diverſo nomine pro diverſa lapillorum, ex quibus conſtant, magnitudine, muſiva opera appellantur (ſunt enim alia majora, alia media, alia minima, vel vermiculata, quae poſt teſſellatum ac ſectile opus adinventa fuiſſe putantur) ſingulorum exempla oculis lectorum ſubjicit, & de materia, qua ſingula exprimi & effici conſuevere, erudite diſſerit. Lapidum ſane cruſtis antiquiora muſiva compoſita fuere; ſed Auguſti aetate vitrea fruſtula encauſtica pictura colorata adhiberi coepta ſunt. Ignorari ait inventorem artis colorandi vitra, quod de ea veteres ſcriptores plane ſilue-

rint. Miror equidem illum fugiſſe affirmatum a Seneca (1) Democritum inter cetera inveniſſe quemadmodum *decoctus calculus in ſmaragdum converteretur*, *qua hodieque coctura inventi lapides coctiles colorantur*. Ut vero propius attingat res muſivis expreſſas de monogrammate ☧, & de aliis litteris ſeu ſignis in veſtium fimbriis antiquitus pingi ſolitis, de coronis, aliiſque capitis ornamentis, de antiquo baculorum uſu, & ſymbolo, & de Evangeliorum volumine multa & curioſa profert. Dicturus de ſacris aedificiis, in quibus muſiva opera conſpiciuntur, ab iis orditur, quae Romae tribus prioribus Eccleſiae ſaeculis conſtructa fuiſſe putat, & cum ad octoginta uſque commemoret, neminem, qui ad veritatem, minime vero ad leves conjecturas omnia revocare cupiat, fore arbitror, qui eorum numerum minui nolit. Inde ad martyrum ſepulcra tranſit, & paullo nimium redundans videtur, cum morem multarum gentium in conſtruendis ornandiſque ſepulturis deſcribit, quanquam antiquiſſimum illud genus ſepulturae praeterie-

(1) Epiſt. XC.

rit, quo apud Xenophontem Cyrus utitur? Redditur enim terrae corpus, & ita locatum ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur. Jam de Eccleſiis ipſis tum Romanis tum Ravennatibus, quae antiquis muſivis ornantur (& antiquiora ea eſſe putat, quae exeunte ferme ſaeculo V. in S. Agatae Majoris Aede Ravennae elaborata fuere) ea profert, ut non ſolum earum ortum, ſed multa etiam alia ad earumdem hiſtoriam ſcitu digna cognoſcas. Verebatur Ciampinius niſi opus ſuum omni ferme eruditionis copia exageraſſet, ne operam perderet; quare facile mihi ignoſci velim, ſi ejusdem operis inſignia quaedam perſecutus, reliqua praetermiſero. Jam in altera parte, quae an. MDCXCIX. in vulgus edita eſt, poſtquam ſcilicet Auctor mortem obierat, ea muſiva explicantur, quae confícta fuiſſe exiſtimabat a VI. ad IX. uſque aerae Chriſtianae ſaeculum. Difficile dictu eſt, quam fuerit ſolicitus, quam laboraverit, quantum impendii fecerit, ut muſivorum, quae diſſitis in locis erant, icones a peritiſſimis graphices artis hominibus delinearentur, & in tabulis

aeneis inciderentur, ut ſi quam de hoc opere expectationem excitaverat, hanc, re perſpecta, plurimum vicerit. Jam vero quantae eruditionis fuit non ſolum ea explanare, quae hiſtoriam illuminant, verum etiam omnia ea, quae mores conſuetudineſque, habitus atque veſtitus, religionemque veterum Chriſtianorum ante oculos ponunt, quae dum contemplaris, cum iisdem tibi verſari videris, & ad ea traductus eſſe tempora, quibus etiamſi natura a majorum ſimilitudine abriperet, conſuetudo tamen ac diſciplina majoribus ſimilem eſſe quodammodo cogeret. Non me praeterit praeferri Ciampinio Bonarrotium, qui easdem ferme res de vitreis vaſibus a Chriſtianis in convivio adhiberi ſolitis ſcribens pertractaverit. Verum ſi aequi eſſe voluerimus, ſtatuemus profecto Ciampinium, quamvis Bonarrotio non parum concedat (& ipſe fortaſſe id minime ignorabat, quod puſilli animi, & ipſa malevolentia jejuni atque inanis eſſe ſemper judicaverit, debitas virtuti laudes minime tribuere) multis tamen ſuperiorem fuiſſe, omnibusque praeiviſſe in explicandis hujuſmo-

di Veterum Chriſtianorum monumentis, ex quibus multa ſane utiliſſima ad Haereticorum errores convincendos, noſtraque inſtituta confirmanda derivari poſſunt. Obſtitit mors, ne quatuor, in quas totum opus tribuiſſe ſupra commemoravimus, partes ad umbilicum perduceret. Praeter quam quod non ſemper otio abundabat; cum hoc ſibi multis muneribus decorato videndum eſſe arbitraretur, ne quid privatis ſtudiis de opera publica detraheret, & quoties abundabat, non poterat in uno ſtudio atque in uno opere conquieſcere, ſed ad plura ſuſcipienda facile impellebatur. Quapropter eodem, quo de veteribus monumentis ſcribebat, tempore, plures edidit diſſertationes, quae eum multarum rerum & exemplorum & vetuſtatis peritiſſimum fuiſſe oſtendunt. Has vero plerumque Cardinalibus dedicabat, vel ad memoriam beneficiorum declarandam, vel ad aucupandam gratiam eorum, qui ampliſſimi ordinis facile principes judicabantur. Etenim non minus honores, quam famam appetebat. Cum vero aliquo officii munere decoraretur, non ſolum in eo exequendo, ſed

etiam in hiſtoriae monumentis, quae ad illud pertinebant, colligendis operae plurimum, ſtudiique conſumebat. Hinc *diſſertatio hiſtorica de Abbreviatorum de Parco majori, ſive Aſſiſtentium S. Romanae Eccleſiae Vicecancellario in litterarum Apoſtolicarum expeditionibus, antiquo ſtatu, illorumque in Collegium erectione, munere, dignitate, praerogativis ac privilegiis*, cui diſſertationi addita poſtea eſt *Enarratio Synoptica qualitatum, geſtorumque Illuſtriſſimorum & Reverendiſſimorum DD. Abbreviatorum de Parco majori S. R. E. Vicecancellario aſſiſtentium in expeditionibus litterarum Apoſtolicarum, quae in Cancellaria Apoſtolica peraguntur*. In hujuſmodi librorum numerum referri etiam debent *Abbreviatoris de Curia compendiaria notitia*, & diſſertatio *de S. Romanae Eccleſiae Vicecancellario, ejuſque munere, auctoritate & poteſtate, deque Officialibus Cancellariae Apoſtolicae aliiſque ab eodem dependentibus*. Haec omnia, ne multis te morer, diligentiam ſcriptoris declarant in perveſtigandis antiquitatis monumentis. Verum ſi haec ad paucos, illa ad omnes pertinere arbitrabatur, quae de ritibus quibusdam, & diſciplina veterum Chriſtianorum

pertractabant. Itaque facile conceſſit poſtulationi Vincentii Mariae Urſinii Cardinalis ac Beneventani Archiepiſcopi, quo homine neque ſanctior, neque probior, neque in omnibus officiis noſcendis, retinendiſque diligentior quiſquam fuit, ut diſſertationem *de Baculo Paſtorali* contexeret. Duplex baculi genus clariſſimum fuiſſe Epiſcopatus inſigne ait; alterum in ſummo capite inflexum & incurvatum, cui *pedum* dixere nomen; alterum rectum & nodoſum, quod *virgae* aut *ferulae* nomine appellabatur. Non utrumque Romanorum Pontificum fuiſſe proprium, ſed virga tantummodo ad XIII. uſque ſaeculum eosdem ſemper uſos fuiſſe, contendit; eadem deinceps inde raro utuntur. Quae vero poteſtas in utroque baculo ſignificaretur, paucis declarat, quod ad majora ejus animus feſtinare videatur. Et ſane non tam craſſo filo contexta eſt *Sacro-iſtorica diſquiſitio de duobus emblematibus quae in Cimelio Gaſparis Cardinalis Carpinei aſſervantur*, de quibus, quoniam ſatis multa ſcripſit etiam Bonarrotius (1) ad eum lectores delegamus.

(1) *Oſſervazioni ſopra alcuni vaſi antichi di vetro. Tav. I. n. 1. Tav. V. n. 3.*

In extremo libro quaerit Ciampinius de duobus Philippis Imperatoribus, fuerint ne Chriſtiani eo tempore, quo ſaeculares ludos fecerunt, & fuiſſe quidem multis argumentis ſe probare putat. Minime ſciſcitaberis quam haec ad rem. Quamvis enim nihil ſit pulchrius in omni ſcripto diſpoſitione atque ordine, id tamen raro ſequitur Ciampinius; & neglecta differendi elegantia, ratione & via, ad eruditionis tantummodo laudem aſpirare videtur. Poſt haec adduxit eum Thomaſius (quod par amicorum fuit unquam his hominibus uſu, conſuetudine, ſtudiis, officiis conjunctius?) ut locum quemdam S. Leonis Magni in Sermone VII. de Nativitate Domini ad examen revocaret, ac verae lectioni, conſultis codicibus, reſtitueret. *Erit, ut mihi perſuadeo* (ajebat Thomaſius) *materies digna facultate & copia tua, & rationibus tuis quodammodo conducere videtur, quod valeat plurimum ad confirmandam ſententiam, quam propoſuiſti in libro de ſacris aedificiis a Conſtantino Magno conſtructis, num ſcilicet veteres Chriſtiani ad Vaticanam Baſilicam flexis genibus per multos gradus aſcendere con-*

ſueverint. Ait enim Summus Pontifex: *nonnulli Chriſtiani adeo ſe religioſe ſacere putant, ut priuſquam ad B. Petri Apoſtoli Baſilicam, quae uni Deo vivo & vero eſt dedicata, perveniant, ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum AREAE ſuperioris aſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe ſolem reflectant, & curvatis cervicibus, in honorem ſe ſplendidi orbis inclinent*. Primus omnium Ciampinius probavit transferendam in locum vocis ARAE, quam omnes editiones, omneſque ferme manu ſcripti codices exhibebant, illam alteram *Areae*, ejuſque argumenta tanti momenti habita ſunt a Queſnello, & a Balleriniis fratribus, ut integram ipſius diſſertationem in ſuas S. Leonis editiones conjecerint. Sic vero interpretatur illam ipſam vocem, quaſi locum, in quo longas aſcendentes ſcalas, quales profecto erant Vaticanae, ſeptimo quoque gradu conquieſcere poſſent. Poſt id, cohortante ipſo Thomaſio, libellum edidit *de Cruce Stationali*, quem ad Noriſium inſtituit: optabat enim ſe gratum erga illum cognoſci, a quo obtinuerat, ut doctis ſane chartis ac laborioſis explicaretur cyclus quidam Paſchalis, qui Ravennae ex-

tat, de quo ſibi in libro *de veteribus monumentis* dicendum erat. Et quidem contra Petavii ſententiam probavit Noriſius Dionyſium cyclum annorum tantummodo XCV. confeciſſe, alterum vero cyclum annorum DXXXII. ab incerto Auctore ante Bedam ex praeceptis tamen Dionyſii, propoſitaque ab eo ratione conditum fuiſſe. Aliud etiam ante id tempus Noriſius Ciampinio concinnaverat munuſculum, quod eo gratius accidit, quia in eo phyſicum agebat. Narrabat enim memorabilem quamdam piſcationem coralliorum, ex qua ipſe, cum Liburni eſſet, magnam ceperat oblectationem (1). Ut igitur paria paribus reſponderet Ciampinius, librum de quo diximus, exaravit, in quo cum explicaſſet uſum hujuſmodi *Crucium Stationalium* apud veteres Chriſtianos, ad rem ipſam ſignificantius declarandam, quatuor illarum exempla multis imaginibus & ſymbolis inſignia ob oculos lectorum poſuit, & diligenter atque erudite explicavit. Eodem modo de ritibus quibuſdam, qui in baptiſmate adhi-

(1) Hujus narrationis epitomen retulit Ciampinius in Ephemerides litteratorum Romae editas an. 1676. p. 14.

bebantur, ſeparatim diſſeruit. Intelligebat enim ſecum agi praeclare, ſi nihil de hujuſmodi rebus affirmaret, quod aut luculentiſſima teſtimonia, aut certa monumenta minime confirmarent. Erraſſe eos probat, qui veteribus temporibus nunquam aſpergi, ſed immergi ſemper ſolitos fuiſſe illos, qui Chriſtianis myſteriis initiarentur, & utriuſque ritus haud obſcura extare indicia in vetuſtiſſimis picturis; declarat etiam quando Laici ejus ſacramenti adminiſtri eſſe rite potuerint, & alia hujuſmodi plura ex moribus & diſciplina veterum ſcitu profecto digna depromit, ut ſatisfaciat amico a ſe explicationem duorum ſarcophagorum depoſcenti, in quibus baptiſma expreſſum eſſe putat Theodelindae, & Agilulphi ejus viri, atque Longobardorum Regis. Quanquam id magis moveret Ciampinium, quod ſimul erat ſanctius & antiquius, non tamen negligens erat inquiſitor aliorum monumentorum antiquitatis; neque credibile quot itinera ſuſceperit [1], ac labores per-

(1) Inter cetera Ciampinii inedita ſcripta, quae nobis legenda ſuppeditavit vir praeclara eruditione & humanitate omnino ſingulari Cajetanus Marinius, extat epiſtola ad

tulerit, cum laxatus curis erat ad ea viſenda atque ſpectanda. Ea propter ſemel iterumque adiit periculum mortis, & anno MDCLXXIII. cum inventum nuper ſepulcrum in ſuburbano rure delineare vellet, in puteum incidit, quem caſum dexteri cruris confractio ſubſecuta eſt. Sed non propterea ejus ardor elanguit, ſibique gratulabatur, quoties Chriſtina Svecorum Regina verba ſibi dari facile patiebatur a conjectoribus ſuis in quaerendis theſauris: aderat enim ſemper Ciampinius non auri, ſed monumentorum diligentiſſimus & ſagaciſſimus inveſtigator. Qua laetitia vero perfruebatur, quibus gaudiis exultabat, cum aliquid inveniret, quo muſaeum ſuum ornatum ſignis & picturis, inſtructumque omnibus rebus, quae ad doctrinam pertinerent, magis magiſque locupletaret! Quo liberius etiam & ſtudiis vacaret, ac doctos homines tectis ac ſedibus ſuis exciperet, disjunxit ſe a propinquis: qua de re a multis

Noriſium. in qua multis verbis exponitur iter, quod ipſe an. MDCXCI. comitantibus Philippo Bonarrotio & Paullo Antoniſio familiaribus & quotidianis convictoribus ſuis per Latium habuit.

reprehenſus eſt, qui id unice moroſitati, aſperitatique morum tribuebant. Sed horum voces ipſe contemnebat, eodem fonte ſe hauſturum affirmans laudes ſuas, e quo eſſet leviter aſperſus. Non tamen aſſecutus eſt, ut tranquillius viveret, praeſertim cum illius mores ad nimiam honorum ambitionem incumbere viderentur. *Delectet alios* (ſic ad eum aliquando ſcripſit Nicolaus Pallavicinius) *ampliſſimus Romanae Eccleſiae gradus, dibaphus, ſacerdotia; denique imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita. Nos iſta nunquam contempſimus, ſed hanc vitam quietam atque otioſam amamus, quae, quamvis honore careat, caret tamen moleſtia*. At ipſae ſollicitudines gratae erant Ciampinio, qui non tam ipſa recte facta, quam praemia ſequi ſolebat recte factorum. Eo tempore, quo Pontifex Maximus factus eſt Innocentius XII. quod ei ſpes oſtendebatur fore melius fortunas ſuas, majore etiam animo excolebat ſtudia, quae probaturum arbitrabatur illum omnis praeclarae artis patronum eximium atque munificentiſſimum. Res erat controverſa & plena diſſenſionis vel inter doctiſſimos homines;

quae ad Regaliae originem ſpectabat, & poſtquam diu ac multum diſceptatum fuit inter Romanos Pontifices & Ludovicum Galliarum Regem, qui ſibi id juris arrogabat, vel ſaltem concedi poſtulabat, hanc & alias hujuſmodi diſcordias. Innocentius ſedandas tandem eſſe putavit. Convenit igitur inter eos, ut qui a Rege poſtulati ad Eccleſias fuerant, Conventus Pariſienſis, qui habitus eſt anno MDCLXXXII. acta abjudicarent. Regaliam, donec a Romano Pontifice cauſſa finiretur, ubi nondum fuiſſet, non agnoſcerent. Rex datis ad Sacrorum Principem litteris, promitteret abrogatum a ſe iri legem, qua in Pariſienſi coetu promulgata capita, ſeu propoſitiones, cunctis per Galliam publice propugnandae indicebantur. Pontifex demum, abolita praeteritorum memoria, Praeſulibus a Rege nominatis diploma & inſignia Epiſcopatus concederet. His rebus pactis, multi extitere, qui non modo importunitati iraſcerentur Gallorum, ſed etiam in recte factis Pontificis faſtidire viderentur. Hos & coercendos, & docendos eſſe putavit Ciampinius, qui libellum compoſuit [non tamen

hunc vulgavit] in quo de ortu Regaliae ſic diſſeruit, ut nil niſi ſapienter, & conſiderate geſtum fuiſſe a Pontifice, cum aliquid de ſuo jure is remiſit, planum facere potuerit. Omnino ipſe haud ſatiari poſſe videbatur, cum Innocentii praeclara facta laudibus celebrabat; & hac de re extant plura ejuſdem ſcripta, & praeſertim longiſſima epiſtola ad Benedictum Bacchinium, quae fortaſſe minime vulgavit, quod intelligebat illa ad praeſentis temporis magis gratiam, quam ad memoriam ſpectare debere poſteritatis. Pius enim laudator erat, non elegans, & elegantiam atque cetera oratoria ornamenta ipſi omnino defuiſſe praeſertim apparet ex ſermone, quem inſcripſit: *Il teatro de' Grandi*, vulgavitque an. MDCXCIII., quo, meo judicio, nihil jejunius atque exilius fieri potuit. Inter haec mandavit illi Pontifex, ut ad ſe referret, quo in ſtatu eſſent Aquaeductus, quos Trajanus conſtruxerat ad utilitatem & commodum Centumcellarum, & num facile in integrum illi reſtitui poſſent; nam non tam ſalubritas urbis, quam ipſius decus maxime cordi erant Pontifici. Adeo dili-

diligenter hujuſmodi mandatum curavit Ciampinius, ut nihil praetermiſerit, quod ad opus exequendum, & hujus ſubducendas & moderandas impenſas pertinebat; monuitque inter cetera, quae timenda mala, ſi plumbei tubi adhiberentur, cujus metalli naturam cum explicaret, phyſicae atque chemiae ſatis ſe peritum oſtendit*. Haec incitabant eumdem ad hujuſmodi ſtudia renovanda, & dolendum illi fuit, quod interdum cautionem atque timiditatem in iis exercendis neglexerit. Cum totus eſſet occupatus in conficiendo pulvere, qui *Alcarotti* nuncupatur, quod remedium praeclarum eſſe putabatur ad ſanandos aegrotos, qui aeſtu febrique jactabantur, quorum magna tum erat vis Romae ob exhalationes aquarum; eaque propter ſubditis ignibus, hydrargyrum contrectaret, unde ceteris parabat ſalutem, tantum ipſe contraxit detrimenti, ut effugere minime potuerit moriendi neceſſitatem. Itaque omnibus iis, quae Dei pio cultu continentur, & ad expiationem ſunt inſtituta, peractis, animam efflavit IV. id. Quintiles an. MDCXCVIII. Omni rerum verborumque honore exequiae ei in

S. Damaſi Baſilica celebratae fuere, ibique conditum cadaver cum hac inſcriptione.

D. O. M.

JOANNES JUSTINUS CIAMPINUS ROMANUS
PLURIBUS IN ROMANA CURIA PRAELATURIS AUCTUS
ARDUIS PRO REP. CHRISTIANA CONSULTATIONIBUS
ADHIBITUS
BONIS ARTIBUS PROMOVENDIS NATUS
MORIBUS PLACIDIS ET LIBERALIBUS INTEGRISQUE
IN OMNES OFFICIOSUS ET BENEFICENTISSIMUS
ERUDITIONE SACRA ET PROFANA
PER TOTUM ORBEM CELEBERRIMUS
MONUMENTIS LITTERARIIS PRAECLARISSIMIS
IMPENSIS MAXIMIS EDITIS
ACADEMIARUM PLURIUM INSTITUTOR ET SATOR
ET CULTOR
MUNIFICENTISSIMUS INCOMPARABILISQUE
PROMOTOR DEFENSOR ET MECAENAS PERPETUUS
ERUDITORUM
QUOS FUTUROS SIMILES SIBI
EX ASSE HAEREDES FECIT
NATUS ANNO MDCXXXIII. APRILIS DIE XI. (1)

(1) Error hunc in locum, ut ex certiſſimis ſcimus monumentis, irrepſit.

FERE OCCIDENTE SOLE
DENATUS DAMNO INGENTI URBIS ET ORBIS
ANNO MDCLXXXXVIII. DIE XII. JULII HORA XIX.
DEPOSITUS IN HAC ECCLESIA SS. LAURENTII ET DAMASI
REQUIESCIT IN PACE.

Teſtamento juſſit Athenaeum condi, ubi pretioſiſſima rerum ſuarum congeri, & duodecim ali & educari debebant pauperes adoleſcentes, cujuſcumque ii nationis eſſent, qui certis quibuſdam ſtudiis vacare cuperent. Sed cum omnia ab eo praeſcripta fieri ſine ſumma difficultate non poſſent, & ipſi propterea quos inſtituerat heredes, Somaſchi, ut appellant, homines hereditatem adire recuſaverint, magna inde extitit litium ſeges. Verum quamvis res exitum, quem optaverat Ciampinius, non habuerit, ejus tamen perpetua atque conſtans voluntas erga rempublicam & litteras ſcriptis, fama, nunciis celebrata eſt; & hoc quidem praecipue nomine ipſum digniſſimum exiſtimavimus, cujus facta & mores hiſtoriae monumentis tradantur, & immortalitati, ſi fieri per nos poſſit, commendentur.

OPERA EDITA.

Diſcorſo tenuto da N. N. nell' Accademia fiſicomatematica Romana in occaſione della Cometa apparſa il meſe di Agoſto dell' anno 1682. ed oſſervazioni ſopra di eſſa fatte in Roma 1682. in 4.

Nuove invenzioni di tubi ottici, dimoſtrate nell' Accademia fiſicomatematica Romana l' anno 1686. Hic libellus editus eſt ſub nomine Caroli Neapolitani. In Roma 1686. in 4.

Conjecturae de perpetuo azymorum uſu in Eccleſia Latina vel ſaltem Romana. Romae 1688. in 4. Typis Komarek.

Examen libri Pontificalis, ſive vitarum Romanorum Pontificum, quae ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii circumferuntur, cum catalogo S. Romanae Eccleſiae Bibliothecariorum juxta chronologicum ordinem. Romae 1688. in 4. ex Typographia Jo. Jacobi Komarek.

Parergon ad examen libri Pontificalis, ſive epiſtola Pii II. ad Carolum VII. Regem Franciae ab haereticis depravata & a Launojana calumnia vindicata. Romae 1688. in 4. ex Typographia Jo. Jacobi Komarek.

Vetera monumenta in quibus praecipue muſiva opera, ſacrarum profanarumque aedium ſtructura, ac nonnulli antiqui ritus diſſertationibus, iconibuſque illuſtrantur. Pars I. Romae 1690. in fol. ex Typographia Jo. Jacobi Komarek.

Diſſertatio hiſtorica an Romanus Pontifex baculo paſtorali utatur. Romae 1690. in 4. ex Typographia Jo. Jacobi Komarek.

De Abbreviatorum de Parco majori, ſive aſſiſtentium

S. R. E. Vicecancellario in litterarum Apoſtolicarum expeditionibus antiquo ſtatu, illorumve in Collegium erectione munere, dignitate, prerogativis ac privilegiis diſſertatio hiſtorica. Romae 1691. in fol. ex Typographia R. C. A. Huic diſſertationi adjecta eſt.

Enarratio Synoptica qualitatum geſtorumque Abbreviatorum de Parco majori S. R. E. Vicecancellario aſſiſtentium in expeditionibus litterarum Apoſtolicarum, quae in Cancellaria Apoſtolica peraguntur.

De incombuſtibili lino, ſive lapide amianto, deque illius filandi modo epiſtolaris diſſertatio. Romae 1691. in 4. Typis R. C. A.

Sacro-iſtorica diſquiſitio de duobus emblematibus, quae in Cimelio Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. Gaſparis Cardinalis Carpinei aſſervantur; in quorum altero praecipue diſceptatur, an duo Philippi Imperatores fuerint Chriſtiani. Romae 1691. in 4. Typis Jo. Jacobi Komarek.

De vocis correctione in Sermone VII. S. Leonis Magni de nativitate Domini, ſive litterulae munuſculum. Romae 1693. in 4. apud Jo. Jacobum Komarek.

De Sacris aedificiis a Conſtantino Magno conſtructis Synopſis hiſtorica. Romae 1693. in fol. apud Jo. Jacobum Komarek.

Il Teatro de' Grandi diſcorſo Accademico. In Roma 1693. in 4. per Gio. Giacomo Komarek.

Inveſtigatio hiſtorica de Cruce Stationali. Romae 1694. in 4. ex officina Jo. Franciſci Buagni.

Abbreviatoris de Curia compendiaria notitia. Romae 1696. in 4. ex Typographia R. C. A.

De S. Romanae Eccleſiae Vicecancellario, illiuſque mu-

nere, auctoritate & poteſtate deque officialibus Cancellariae Apoſtolicae, aliiſque ab eodem dependentibus. Romae 1696. in 4. Typis Barnabò.

Explicatio duorum Sarcophagorum ſacrum Baptiſmatis ritum indicantium. Romae 1697. in 4. Typis Barnabò.

Vetera monimenta ec. pars II. Romae 1699. in fol. ex Typographia Barnabò.

OPERA INEDITA.

(Quorum pleraque minime perfecta fuere.

De ſacris profaniſque calicibus.

De ſacris indumentis.

De ſacrarum imaginum uſu, earumque veneratione.

De Terraemotibus philoſophica & hiſtorica narratio, cum eorumdem ac caeleſtium phaenomenum, nec non diverſorum terrae mariſque effectuum chronologica deſcriptione ab anno VI. ante Chriſti nativitatem.

De ſacris profaniſque dypticis.

Muſeo di medaglie Pontificie da Martino V. ſino al Pontefice Innocentio XI. deſcritto dal P. Filippo Odam ſino ad Innocenzio X. e continuato dopo la morte del medeſimo da Monſig. Ciampini.

Horae geniales, ſive conjecturae Kempenſes.

Dell' Inſtituzione de' Cavalieri dello Speron d'oro.

Sacra Romae legatio illuſtriſs. & excellentiſs. D. Joannis Landi pro canonizatione S. Laurentii Juſtiniani, ſive brevis hiſtorica encomiaſtica enarratio.

De dignitate & praeſtantia ſaecularis, & inſignis Collei

giatae Eccleſiae S. Laurentii in Damaſo de Urbe.

Sacrarum imaginum an. 1689. repertarum explicatio cujus occaſione Formoſi Sanctiſſimi Pontificis vita ex variis auctoribus nova methodo eſt concinnata.

Lettera à Monſig. Niccolini Vicelegato d' Avignone col diſtinto ragguaglio dei ſucceſſi della ripulſa alla dignità Cardinalizia fatta dagli Eminentiſſimi Sigg. Cardinali Taja e Ricci.

Familiaris epiſtola ad Reverendiſs. P. D. Benedictum Bacchinum &c. in qua nova quaedam philoſophia demonſtratur, cujus occaſione vita & nonnulla praeclara geſta regnantis Pontificis Innocentii XII. breviter enarrantur.

Indices Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorum Sacrorum, & variorum ex Anaſtaſio Bibliothecario, ac aliis auctoribus collecti.

Diſcorſo dell'origine della Regalia nel Regno di Francia.

Index rerum praecipuarum, quae in Ordine Romano à Cencio Camerario deſcripta indicantur.

Excerpta Eccleſiarum in partibus Infidelium ordine alphabetico.

Excerpta Eccleſiarum in Indiis Orientalibus & Occidentalibus ordine alphabetico.

Epiſcoporum coetus ex proviſionibus à lit. A ad F.

Bibliotheca Scriptorum vitarum Summorum Pontificum & illorum Antiſtitum.

Viaggio per il Lazio e Lettera al Card. Noris.

ANGELUS FABRONIUS.

FRANCISCO JACQUIERIO

S. P. D.

Quo primum tempore Romae te cognovi, perſpexi plane ſingularem doctrinam tuam ſumma cum humanitate conjunctam, eaque propter amavi te ſemper plurimum, ſemperque non vulgari obſervantia ſum proſecutus. Quoniam vero ita Deus tulit, ut intervallo locorum disjungeremur, gaudeo datam a te ipſo occaſionem repetendi initia noſtrae amicitiae, experiendique, num ab ea quidquam longinquitas relaxaverit. Meminiſſe debes ſaepe inter nos collocutos fuiſſe de praeſtanti doctrina Franciſci Blanchinii, nec ſemel me a te admonitum, ut hominis, quem tibi amor, conſuetudo, & paria ſtudia copulaverant, vitam Latine deſcriberem. Cum primum potui parui conſiliis tuis; qua in re perficienda, eo alacrior fui, quo majorem ſpem habui, te hoc qualecumque opus ingenio iſto tuo atque doctrina politurum. Profecto non patieris fruſtra implorari auxilium tuum, ad quod facilius obtinendum curavi, ut poſtulata quoque ſua interponeret am-

pliſſimus vir, utriuſque noſtrum amantiſſimus, Laurus Bretullius. Heus tu, inquies, quid deprecatorem adhibes? Nonne ſatis noviſti facilitatem meam? Novi equidem, humaniſſime Jacquieri, & in multis rebus expertus ſum, ac praeſertim in vita Euſtachii Manfredii, quam non ſolum graviſſimo judicio tuo expendendam ſuſcepiſti, ſed etiam eruditis obſervationibus locupletaſti, quae lumen atque ornamentum maximum eidem attulere. Sed non propterea putavi dimittendum pudorem in rogando meum, qui me ſemper admonuit amicorum opera ſic uti, ut intelligant velle me illam non in mercedis, ſed in beneficii loco numerare. Peto igitur abs te majorem in modum & pro noſtra amicitia, & pro conſtanti tua in Bretullium obſervantia, ut commentariolum de vita Franciſci Blanchinii, quod cum his litteris ad te veniet, in fidem tuam recipias. Reprehendes ea quae vituperanda duces, quae placebunt comprobabis; & ſi liberius, ſicuti mihi opto, agendum putabis, adeo multa affinges, detrahes, ac mutabis, ut totum aliud facias. Ad quod perficiendum plurimum valebunt domeſticus uſus, qui tibi cum Blanchinio fuit, & perfecta cognitio earum facultatum, quas im-

mortalis ille vir ſuis ſcriptis illuſtravit. Nam te non ſolum philoſophia, & mathematicae diſciplinae, in quibus paucos pares habes, ſed & omnis ars & doctrina libero homine digna ſemper delectarunt. Tui autem, tuique ſimilium exemplum utinam ſibi proponerent incauti illi adoleſcentes, qui deſpicientes, & pro nihilo putantes ſtudia humanitatis atque eruditionis, illotis, ut ajunt, manibus reconditiores illas facultates tractare non verentur. Interea ſine ſenſu, ſine ſapore, ſine notitia praeteritarum rerum, rudes, omnium vitae opportunorum ignari, elingues, ſibi tamen & factioni ſuae ſuperbe plaudentes, aetatem degunt, & ſi quid ſcribere aggrediuntur, allium & caepe olent, infantia, barbarie, ſtribiligine, quantum profecerint, eruditis facile oſtendunt. Nemo eſt in litteris mediocriter verſatus, qui ignorare poſſit diſciplinas, arteſque liberaliſſimas, ex quibus univerſa perfectaque doctrina valeſcit, communi quodam cognationis vinculo inter ſe contineri; & quo una aliqua diſciplina majori in obſcuritate rerum, & magis recondita in arte, & multiplici, ſubtilique verſatur, qualis profecto eſt res mathematica, eo illam plura, atque majora doctrinarum

adjumenta requirere. Quae ſi ſatis intelligerent ſtudiorum moderatores, non doleremus fortaſſe ita dilapſam eſſe humaniorum litterarum fortunam, vix ut ulla priſtini ſplendoris veſtigia appareant. Vale, ami Jacquieri, tibique perſuade omnia officia, quae ab amico vetere, & multis in rebus probato expectari poſſunt, tibi & eſſe a me, & fore ſemper parata.

Florentiae Kal. Mai. MDCCLXIX.

FRANCISCUS BLANCHINIUS.

VEronae, quae urbs, ſi qua unquam Italica, ſemper floruit viris doctrina excellentibus, ortus eſt Franciſcus Blanchinius Idibus Decembris an. MDCLXII. cum parentes habuiſſet Gaſparem Blanchinium, hominem re familiari, in qua tamen diſſolutus & negligens erat, abundantem, optimamque feminam Corneliam Vailettam, quae familia in illuſtrioribus Bergomatium adnumeratur. Hos magna ſpes tenebat bene ſibi eventurum de puero, qui a primis annis non vulgaria argumenta dederat docilitatis ingenii, diligentiae in ſtudiis, bonitatiſque morum. Bononiam miſſus cum undecim eſſet annorum, ut inſtitueretur ab hominibus Societatis Jeſu, qui regunt collegium Aloyſianum, his praeceptoribus cum in politioribus litteris, tum in philoſophia ac geometria plurimum profecit; nec periculum ullum ingenii fuit, quod non libentiſſime ſubierit, & quo cum ſummo Bononienſium plauſu non ſit defunctus. Muſicam quoque attigit, ſeque in delineandi,

pingendique arte exercuit; quae res magno ei poſtea uſui fuit in naturalis hiſtoriae, antiquitatiſque ſtudiis excolendis. Vitam inter Ieſuitas degens adoleſcentulus ſumma in Deum ac Deiparam Virginem pietate, ſuaviſſimiſque moribus facile in illud conſilium adductus eſt, ut illorum Societati nomen daret. Hoc autem conſilium, ut liberiori judicio perpenderet, juſſit illum pater ſe conferre Patavium ad perſequenda doctrinarum ſtudia, utque poſtea abjiceret, effecit Picinardius e Dominicana familia, quo Theologiae uſus eſt doctore. Patavium cum veniſſet exeunte anno MDCLXXX. nactus eſt contubernium viri optimi, atque doctiſſimi Geminiani Montanarii, qui in illius civitatis Gymnaſio mathematicas diſciplinas tradebat. Captus hic adeo fuit adoleſcentis humanitate & doctrina, ut illum non ſecus ac filium diligeret. Itaque & conſilio & opera omnibus in rebus eidem praeſto fuit: conciliavit quoque juveni benevolentiam Corerii viri nobilitate inſignis, & multis litteris, ſed praeſertim antiquitatis & aſtrorum ſcientia eruditiſſimi, quas facultates perfecte tenendi

mirum deſiderium in Blanchinio excitavit eo tempore, quo illum hoſpitem habuit Brixiae, ubi Praeturam gerebat. Et facile quidem fuit ad praeclariſſimas facultates impellere hominem, in quo inexhauſta erat ſciendi aviditas. In theologiae adita penetraverat; non mediocriter ſtuduerat rei anatomicae; plurimum verſatus fuerat in artē herbaria, Laelio Triumphetto duce, adeoque inſtitutionibus Montanarii in optimo philoſophandi genere, & in omni pene re mathematica proceſſerat, ut inter illius diſcipulos unus maxime floreret. Id cum reſpiceret Montanarius moriens legavit ei magnam inſtrumentorum copiam, quibus uſus erat in iiſdem facultatibus exercendis. Tot vero tantiſque beneficiis ut reſponderet Franciſcus, utque deſiderium leniret cariſſimi praeceptoris, illius vitam conſcripſit, & opus, quod ipſe imperfectum reliquerat [1] abſolvit. In his ſi quis elegantiam & munditiam orationis deſiderabit, non vehementer repugnabo. Hoc ſtudiorum confecto curriculo, Romam venit

(1) Huic titulus: *Le forze d'Eolo Dialogo fiſico matematico ſopra gli effetti del vortice o ſia turbine ec.*

an. MDCLXXXIV. ſperans Cardinale Petro Ottobonio fautore, cui bene cognitus erat, ſe in aliquem fortunae gradum facile venturum. Omnino Cardinalis humaniſſime excepit Blanchinium, huncque bibliothecae ſuae praefecit. Qua re factum, ut cum multa inſtrumenta haberet Franciſcus ad adipiſcendam ſapientiam, cetera, quae eſsent illiterata, prorſus ei inſulſa viderentur. Quoniam autem Romae magna propoſita eſſe ſolent praemia iis, qui in juris prudentia excellunt, amicorum hortatu huic quoque diſciplinae operam non mediocrem dedit; ſed jurgia & forum ſemper averſatus eſt. Tum humaniſſima complebatur voluptate, ſi ſupera ac caeleſtia obſervaret; ſolitus dicere animorum naturale dulciſſimumque quoddam quaſi pabulum eſſe conſiderationem contemplationemque naturae. Cometem cum detexiſſet, particeps fieri voluit Chriſtina Svecorum Regina earum rerum, quae de illius motu animadverſae ac notatae ab ipſo fuerant. Adſcriptus Academiae Phyſico-mathematicae a Joanne Ciampinio inſtitutae, ita verſabatur in doctiſſimorum virorum flore, ut ejus doctri-

nam omnes admirarentur; cumque aliquando eum differentem de rebus mathematicis in eadem Academia audiviſſet Joannes Mabillonius, non modo voce, ſed etiam ſcriptis multa & honorifice, & graviter de ipſo praedicavit. Biennium poſtquam Romae fuit, in patriam rediit, ut domeſticis quibusdam rebus ſuis conſuleret. Cumque magna eſſet ejusdem auctoritas apud cives ſuos, nobile nomen, laus doctrinae maxima, facile iis perſuaſit, ut Aletophilorum Academiam prope intermortuam ad vitam revocarent, utque phyſicae ſtudia pulcherrime in ea colerent. Qua occaſione binas diſſertationes ſcripſit, alteram *de emblemate, nomine, atque inſtituto Aletophilorum*: alteram *de methodo philoſophandi in rebus phyſicis*, qua oſtendere praeſertim voluit ſine geometriae ſubſidio mancam & infirmam eſſe contemplationem naturae. Quod laudem ſuorum civium exiſtimabat, etiam ad aliquem ſuum fructum redundare, dono iis dedit nonnulla phyſica & mathematica inſtrumenta, quae a Montanarii liberalitate eum obtinuiſſe diximus; & majora dediſſet, niſi & domeſticas quasdam lites, &

patris

patris libertatem, qui diu in vinculis fuit, redimere debuiſſet. In his rerum ſuarum aſperitatibus ſaepe Romam cogitabat, ubi etiam hoſpitio a Ciampinio invitabatur. Itaque poſtquam & patriae & patri ſingularem pietatem praeſtitiſſet, remigravit in Urbem ea mente, ut ibi omnium rerum & fortunarum ſuarum ſedem collocaret. Neque multo poſt Pontifex Maximus creatur Cardinalis Ottobonius, a quo omnia ſumma Franciſcus ſibi polliceri poſſe videbatur, ſi eidem diutius vivere contigiſſet. Nullus enim ferme dies intercedebat, quo Pontifex non ad ſe advocaret Blanchinium, vel ut eo anagnoſte uteretur, vel ut cum ipſo eruditos ſermones conferret. Itaque & Canonicatu S. Mariae ad Martyres, & jure exigendi quaſdam eccleſiaſticas penſiones donatus eſt; quibus rebus contentus, homo modeſtiſſimus nihil amplius requiſivit. Retinuit & praefecturam bibliothecae Ottobonianae, qua una re plus ſe debere Pontifici profitebatur, quam ſi ab eo ampliſſimos honores, ampliſſimaſque fortunas accepiſſet. Nam quotidie ad multas horas abdebat ſe in eamdem bibliothecam librorum

copia, ac praeſtantia inſignem, ibique aut legens aliquid, aut ſcribens litteris ſe ſe involvebat. Vir natus ad ſapientiam nullam eruditionis partem ignorare velle videbatur; & quaſi helluo librorum, nihil reformidans inanem vulgi reprehenſionem, in ipſis publicis viis ſaepe legere ſolebat. Sed praeſertim in eo' eſt laudandus, quod non putavit poſſe ſe uberiores virtutis ac ſapientiae fontes reperire, quam ſi veterum Graecorum, Latinorumque libros nunquam de manibus deponeret. Numiſmata etiam, inſcriptiones, ſarcophagos; reliqua hujuſmodi monumenta, quibus Roma, ut omnes ſciunt, mirum in modum abundat, curioſe conquirere, & ſedulo ſcrutari minime praetermittebat, quod haec collata cum antiquis ſcriptoribus lucem viciſſim afferre, & accipere intelligebat. Si quid hujuſmodi deliciarum e tenebris erueretur, aderat ſtatim Blanchinius, ut obſervaret, earumdemque imaginem calamo exprimeret: quae Romae extant rudera crebro inviſebat, atque illorum adeundorum aut difficultas, aut incommodum, aut periculum minime illum retardabat, quin imo invita-

bat, atque alliciebat: nihil prope erat obſervatione dignum, quod ejus oculos effugeret; mirum vero quam ſagaciter de iis conjiceret, quae tempus aut roſerat, aut diruerat. Subſidium belliſſimum eſſe exiſtimavit innumera, quae obſervaverat, antiquitatis monumenta conficiendae hiſtoriae, quae a creatione mundi exordiens omnium aetatum memoriam breviter complecteretur, earumque veluti iconographiam exhiberet, quam qui intueretur ſe ſe non unis, ut verbis Ciceronis utar, circumdatum moenibus popularem alicujus definiti loci, ſed civem totius mundi, quaſi unius urbis agnoſceret. Sicuti autem in deſcriptione alicujus urbis omnia repraeſentari nec poſſunt, nec debent, quae ad illam quoquo modo pertinent, ita Franciſcus rejecit a ſua hiſtoria minutas quasdam res, quarum narrationem annalibus potius convenire putavit. Sejunxit quoque ab ipſa quae non hominis propria, & quae incluſa in ſacris libris, niſi divino teſtimonio comprobari non poſſunt. Omnino profanam, profaniſque comprobatam monumentis contexere voluit hiſtoriam, di-

vinam, atque eam, quae ad Eccleſiam pertinet, in aliud tempus, & in aliud opus rejiciens. Tripartita fuit diviſio illius: ſingulis autem partibus cum deſtinaſſet quadraginta capita, fecit ut unumquodque prioris partis caput hiſtoriam unius ſaeculi comprehenſam haberet, reliquarum partium capita non ſaecularia, ſed vicennalia deſignavit. Tali modo prima pars hiſtoriam producere debebat a mundi origine ad Auguſti imperium, ſecunda ab Auguſto ad Carolum Magnum, tertia ab hujus aetate ad Auctoris uſque tempora. Sane commoda videbatur haec diſtributio, ut pote quae memoriae maxime ſervire poterat. Sed ex tribus operis partibus vix primam abſolvit Blanchinius, quam partem unicum concludit volumen Romae an. MDCXCVII. editum, quod hiſtoriam continet triginta duarum aetatum ad Aſſyriorum uſque imperii ruinam. Ex hoc profecto intelligere licet illum adeo diligenter antiquitatem habuiſſe cognitam, ut eam fere totam uno in libro expoſuerit. Quod ſi praecipua laude ferendus eſſet, qui ſparſa in immenſo ſolo magni alicujus aedificii caementa ſic coacervaret, ut priſtinam

illius ſormam agnoſceremus; cur non ſingularis ejus exiſtimabitur prudentia atque induſtria, qui ex diſſeminatis ubique Aegyptiorum, Graecorum, Romanorumque marmoreis atque aeneis monumentis, nec non veterum ſcriptorum fragmentis, ceteriſque antiquitatis reliquiis formam non dicam adumbravit, ſed expreſſit vetuſtiſſimorum temporum? Hanc qui intuebitur, facile cognoſcet civitatum, omniſque humanae ſocietatis conſtitutiones, exortus, curſus, occaſus regnorum, atque rerum publicarum, originem, & progreſſionem artium, ſcientiarum, ludorum, omniumque pene rerum, quae ad religionem, ejuſque ritus, rem bellicam atque maritimam ſpectant. Multa in eo libro nova, nonnulla (ut quod ſentio dicam) vix credibilia; ſed in iis tamen illud fateare vel invitus, veniam errato dandam vel propter ingenii ſagacitatem, vel propter elegantiam doctrinae. De bello Troico diſſerens ei cauſſam dediſſe putat non Helenae raptum, quod leve nimis videretur, ſed navigationem Aegei & Euxini marium. Scimus enim vel a primis temporibus populos de acquirendo,

conſervandoque ſibi maris dominatu, aut ſaltem libero ejus uſu, quem Blanchinius *Thalaſſocratiae* Graeco nomine vocat, ſtudioſe contendiſſe; nec aliunde originem memoratum bellum habuiſſe illud maximo argumento eſt, quod non Trojae expugnatio illud extinxit, ſed conditiones quaedam ad commercium pertinentes, in quas Graecos inter & Trojanos pax convenit. Ex quo illud conſequi neceſſe eſt, Homeri Iliadem totam allegoricam eſſe, Homericoſque Deos, quorum turpitudines, ac vitia intolleranda videntur, deſignare Principes viros, aut nationes, a quibus nihil humani alienum eſſe exiſtimari debet. Seſoſtris Arabiae Rex ſuam in potaſtatem redegerat Aegyptum, & univerſam pene Aſiam: ſed illo mortuo, domiti Reges ſuſtulerunt animos, & a cervicibus ſuis jugum ſervile paullatim dejecerunt. Ubi incenſum Troicum bellum, qui eo tempore regnabant, Seſoſtris ſucceſſores ſinere coguntur belli potentes Principes quam vellent partem pro cujuſque ſtudio atque utilitate tenere. Hos minorum Deorum, illos Jovis nomine Poeta denotat,

apud quem Juno λευκώλενη eſt imago albae Syriae, Minerva ſapientis Aegypti; Mars icti foederis inter Armenos, Colchos, Thraces & Theſſalos: Ita facilis & prompta deſenſio eſt Homeri, cui divini cognomen idcirco multi denegarunt, quod viſus eſt turpia & indigna tribuiſſe Diis. Nimis profecto longus eſſem, ſi breviter etiam ſummatimque deſcribere vellem res novas, quas Blanchinius indagavit ac patefecit ſua in hiſtoria, cui ullum ne deeſſet ornamentum, extare voluit initio cujuſque capitis imagines monumentorum antiquitatis, quibus praecipue uſus eſt ad fidem narrandis rebus conciliandam. Vehementer ille laetatus eſt opus hoc multarum vigiliarum ſic excepiſſe homines, ut admirari ac praedicare non ceſſarent ubertatem, varietatem, & copiam reconditoris eruditionis, acumen judicii in conjiciendo, atque ordinem in diſtribuendo, qui memoriae maxime lumen affert. Maturius ſibi de hoc libro edendo cogitandum putavit, quod ſciebat Summum Pontificem Innocentium XII. vacuo muneri Cuſtodis Bibliothecae Vaticanae eum potiſſimum prae-

ſectarum, cujus majora exſtarent teſtimonia doctrinae. Sed quoniam ea eſt plurimorum conditio Principum, ut aliorum magis judicio, quam ſuo, judicent, antetulit Innocentius Blanchinio virum profecto Graecis & Latinis litteris doctum, ſed nullo modo cum ipſo comparandum. Illius fortunam dolens Cardinalis Ottobonius ſua liberalitate ſublevandam putavit. Itaque & Canonicum S. Laurentii in Damaſo eumdem creavit, aliiſque, nec iis mediocribus, complexus eſt beneficiis. Poſt neque ita multo cum Pontifex Maximus factus eſſet Clemens XI., ab eo inter honorarios ſuos cubicularios primum, mox inter Canonicos Liberianae Baſilicae relatus eſt. Mandata etiam ab eo habuit de emendando Calendario Romano, cui negotio cum alios doctos viros, & in his Cardinalem Noriſium, Pontifex praepoſuiſſet, munus notandi, referendique quidquid conſuleretur, Blanchinio aſſignavit. Non defuerunt maledici, qui illum criminarentur apud Pontificem non pauca, quae ſcire intereſſet, ipſum conſulto reticuiſſe. Sed facile fuit homini probitate, & fide ſingulari omnem a

ſe ſuſpicionem removere. Quid vero ipſe egerit, quantum laboraverit in mandato exequendo, quidque de tota re ſenſerit, ex iis quae litteris conſignavit, quaeque nos referemus, facile intelligi poteſt. Edidit enim anno MDCCIII. librum, qui inſcribitur: *Solutio problematis Paſchalis*. Problema autem illud eſt: *an diſponi poſſit cyclus Paſchalis coſtans annis Gregorianis, qui Paſcha ſemper indicet tempore congruo, hoc eſt die Dominica intra hebdomadam tertiam lunae?* Id fieri poſſe contendit Blanchinius, aſſertque cyclum quemdam a ſe excogitatum, quem octogrammum idcirco nominat, quia octo litteris apte diſpoſitis utitur ad indicandam lunam XIV., epactarum uſum reſervans ad inveſtigandum novilunii diem. Cujus cycli ut veritas pateat, nonnulla de ratione numerandi lunam XIV. definiendique diem aequinoctii praemittit. Vult initium novilunii medii ab eo temporis puncto computandum, in quod incurrit; decurſaſque ab eodem momento horas XXIV. diem primum lunae juxta motus medios efficere. Diem, in quem finis diei medii incidit, lunae primum civilem appellat; illum vero,

in quem cyclus finem medii cadere denotat (cadat vero an ſecus, id Auctor non laborat) cyclarem nominat; hincque omnes intelligere poſſunt quae ſit hebdomada prima, altera, aut tertia lunae, cyclaris, civilis, & juxta motus medios. Cum autem illud pro demonſtrato habeat ita per cyclum diſponi poſſe annos Gregorianos, ut dies XXI. Martii contineat punctum veri, aut medii aequinoctii, idcirco hunc diem pro aequinoctiali ſtatuit. Quibus aliiſque poſitis, problematis ſolutionem aggreditur, periodumque MCLXXXIV. annorum proponit; quam Clementinam a Clemente XI. honoris cauſſa nominat. Hujus periodi initium facit ab anno MDC. aerae Chriſtianae; eamdemque ſemper inſtaurari poſſe contendit, ſive biſſextilis fuerit annus, ſive communis, in quem ipſa deſinat periodus: neque periculum, inquit, eſt, ne Paſcha e ſua ſede dimoveatur, quam ſtatuit eſſe diem Dominicum intra tertiam lunae hebdomadam civilem menſis primi. Extremo in libro non pauca, quae in dubium ventura videbantur ita explicat, ut nunquam a mente & ſen-

tentia Gregorii XIII. ſe diſcrepare putet; neque ambigit poſt multas obſervationes a ſe habitas, collataſque cum iis, quas alii aſtronomi fecerunt, quantitatem anni ſolaris eam tutiſſimam eſſe, quam mathematici Gregoriani ſunt ſequuti. Monet inſuper quidnam ſit illud temporis ſpatium, quo communes tabulae a cyclo octogrammo differunt in notandis diebus Paſcharum hujus ſaeculi; contenditque, ut alia multa ſilentio praeteream, ſecundum Canones Nicaenos, decretaque Gregorii XIII. nec non praeſtantiorum ſcriptorum (1) ſententiam, Paſcha an-

(1) Blanchinio huc de re undique monumenta colligenti gratum in primis fuit Octavii Lauri ſcriptum, de quo haec ad Philippum Maraldium habet in epiſt. dat. Romae IX. Kal. Sext. an. MDCCIV. *Gli comunicai* (Manfredio) *alcuni giorni ſono certi computi Paſquali del tempo di Gregorio XIII. fatti da Ottavio Lauri avanti l' Anno* MDLXXXII., *ne' quali manifeſtamente ſi conoſce l' errore del Clavio, e de' ſuoi ſeguaci, notandoſi ſin dall' ora così le lunazioni medie come le Paſque per il* MDCC., MDCCIII., MDCCIV., MDCCVII. *ec. ſecondo la intenzione del Sig. Caſſini, e non ſecondo quella che poi abbracciarono i Calcolatori delle Tavole Claviane, e comuni. Non ho potuto ricavare ſin ora qual ſoggetto foſſe queſto Ottavio Lauri. La ſua Opera è ſcritta a Gregorio XIII., ed è ſtata ritrovata*

ni MDCCVII. XV. Kal. Majas celebrandum eſſe. Eodem an. MDCCIII. publici juris fecit, & Clementi XI. dicavit binas Diſſertationes, *de Kalendario & Cyclo Caeſaris* alteram, alteram *de Paſchali canone S. Hyppoliti Martyris*, quorum utrumque in ſuo cyclo octogrammo componendo non mediocri ſibi adjumento fuiſſe fatetur. Marmorea haec monumenta e veteris Romae ruderibus effoſſa fuerunt ſaeculo XVI.; & quamvis inde uſque non defuiſſent doctiſſimi viri, qui de iis

dal Sig. Abb. Zaccagni primo Cuſtode della Vaticana tra le altre carte vecchie ſpettanti al Calendario, ſebbene il Clavio non ne ha fatto parola. Si dubita ancora, che queſto libro del Lauri poſſa eſſere ſtato quello, che accenna e promette Gregorio XIII. nella pubblicazione della correzione, chiamandolo libro della eſplicazione del Calendario, o della nuova ragione di ordinare il Calendario, benchè l'Epatta non ſia del tutto la Liliana propoſta a' Principi nell' anno MDXXVII. *nè del tutto la Gregoriana comune pubblicata con il Calendario, ma un mezzo che tra embedue. Mi vien detto che queſto Lauri foſſe ſtato promoſſo al Veſcovato. E queſta forſe è la cagione, per cui non ritrovandoſi più preſente in Roma nel* MDLXXXII., *non ſi fa di lui menzione tra i ſoggetti di quella Congregazione. Comunque ſia VS. Illuſtriſſima vedrà con ſommo piacere per quanto io credo confermate le noſtre aſſerzioni da queſto Autore contemporaneo al Clavio e a Gregorio XIII.*

aliquid commentarentur, non tamen ſe actum agere putavit Franciſcus, ſi uberius & diligentius eadem explananda ſuſciperet. Cyclus Caeſaris deſignat faſtos Kalendares; & cetera inter adſcriptos habet ſingulis anni diebus binos litterarum ordines, quorum primus exhibet octo priores alphabeti Romani litteras ſibi ſemper, dum totum anni curſum confecerint, invicem ſuccedentes, cum ſecundus habeat litteras indicantes dies faſtos, nefaſtos, & comitiales. Adverſus Joſephum Scaligerum, Bucherium, Petavium, alioſque multos contendit Blanchinius primum litterarum ordinem minime repraeſentare dies nundinales, ſed cyclum quemdam lunarem, quem ipſe eleganter & ingenioſe magis, quam vere explicat. Nam ex quibusdam, quae ſuperſunt, tituli verbis colligere ſe poſſe exiſtimat illas litteras quatuor diverſis coloribus diſtinctas fuiſſe ad indicandum diem, in quem ſolſtitiorum, & aequinoctiorum novilunium cadit. Cyclum ita digeſtum conſentire probat cum omnibus ſolis & lunae defectionibus, quas ab aetate Caeſaris ad tria, quae conſecuta ſunt, ſaecula aerae Chriſtianae,

quibus praeceſſio lunaris diem integrum non excedebat, eveniſſe ſcimus; ex quo concludit novilunia, & plenilunia illorum trium ſaeculorum rectius indicari per cyclum Caeſaris, quam per epactas communes, quod hae aliquando per triduum integrum aberrent a veris motibus, cum defectiones illae raro per biduum a cyclo diſcrepent, & fere ſemper eodem die indicentur. Hunc eumdem cyclum accommodatiſſimum fuiſſe oſtendit ad vulgarem, popularemque uſum cunctarum pene gentium; hincque illum facile aptari potuiſſe non ſolum trimeſtribus annis Arcadum, ſemeſtribus Acarnanum, aliiſque aliorum populorum, qui eſſent anno Juliano minores, verum etiam majoribus, quibus ad ſtatos quoſdam ſolis & lunae adſpectus Eleuſina magna, Olympia, Pythia, & hujuſmodi alia feſta erant celebranda. Quae dum perſequitur Blanchinius ubertatem, varietatemque eruditionis affatim ſpargit; nec alienum a propoſito putavit ſi reliqua inter monumenta antiquitatis, quae affert, & ad cauſſae ſuae commodum trahit, in medium quoque proferret copioſeque explicaret, quae

exculpta ſunt in baſi columnae Antonino Pio poſt ejuſdem ἀποθέωσιν dicatae. De cyclo Caeſaris ſatis ſuperque dictum. Venio nunc ad Paſchalem canonem S. Hippolyti, qui viſitur in bibliotheca Vaticana inſculptus ad latera cujuſdam ſellae marmoreae, in qua ejuſdem Epiſcopi ſimulacrum ſedet. Putat Blanchinius in dextero latere exhibente lunas XIV. per cyclum eptagrammum repraeſentari tres periodos, minorem CXII., majorem DCCLXXXIV. & maximam MMMCCXLVIII. annorum, adeo ut ejus ope facile ſit invenire dies, quibus Paſcha in veteri lege celebratum fuerit; neque in dubium revocat extantes litteras in ſiniſtro latere indicare Paſchales dominicos dies. Idem nonnullos errores, quos imperitus artiſex ſculpſit in ipſo latere, coarguit & corrigit, methodumque innuit ita perficiendi hunc cyclum, ut ejus uſus communis eſſe poſſit, minimeque abhorrens a ſuſcepta his temporibus peragendi Paſchae conſuetudine. Denique cyclum ſuum octogrammum cum Juliano & Hippolytaeo comparat, ex quo poſtremo, certa ſuis locis aptata aequatione, tabulas quaſdam eſ-

ſicit, per quas facillime ac tuto praeteritorum ac futurorum Paſcharum dies inveniautur; quod maximum utiliſſimumque fructum laboris ac ſtudii ſui in hoc condendo libro ſperat fuiſſe. Praeter haec alia quoque de Calendario, cycloque ſuo octogrammo commentatus eſt Blanchinius. Nam Dialogum ſcribere inſtituit, quo tradere volebat concinnam methodum accommodandi cyclum ſuum ad annos veterum Arcadum, qui diebus CCCLXII. conſtabant, ad Olympiades, & ad omnem hiſtoriae uſum; denique diſſerere in animo erat utrum utilius eſſet adhibere annos Julianos, an Gregorianos, quem Dialogum ſi perfeciſſet [nam minima pars illius extat] abunde ſatisfactum toti huic quaeſtioni ab eo fuiſſet. In hujus generis librorum numero ponendum etiam eſt opuſculum ad Marium Creſcimbenium Arcadum Academiae Cuſtodem, quo Blanchinius aperit rationem ſic utendi cyclo ſuo, ut is perpetuo indicet novilunium & plenilunium primi menſis aeſtivi, ex quo facile ſtatui poſſit initium olympiacorum annorum. Nemo enim ignorat recentes Arcades veterem conſuetudinem in numerandis annis longo in-

tervallo

tervallo retuliſse. Quoniam vero iis erat moribus Franciſcus, ut libentiſſime ea, de quibus moneretur a viris doctis, audiret, non exiſtimavit fieri poſse a ſe melius, quam ſi ſententiam amiciſſimi ſui Joannis Dominici Caſſinii exquireret tum de periodo ſua Clementina, tum de rebus omnibus ad correctionem Calendarii pertinentibus. Ex quo factum eſt, ut in actis Academiae Pariſienſis plura habeamus ab eodem celeberrimo aſtronomo obſervata & notata de Calendario. Multo etiam his majora latent in epiſtolis quas Blanchinius dedit, & accepit ab aliis, quos de eadem correctione conſulendos putavit. Neminem autem ignorare arbitror irrita infectaque fuiſse plurima, quae Blanchinius aliique ſcripſère in Pontificis exequendo mandato; nec melius actum eſse cum iis, quos Clemens XII. huic ipſi negotio praepoſuit. Horum in numero fuit Euſtachius Manfredius, qui aliquando ſcribens ad Antonium Leprottum non dubitare ſe dixit, operae pretium eſse Calendarinm mendis purgare, ſed deſperare ſe iſtud perfici poſse, invitis Jeſuitis, aſſiduis propugnatoribus & defenſoribus ea-

rum rerum, quas Chriſtophorus Clavius in curanda correctione Gregoriana praeſtitit. Sed ut ad Blanchinium revertar, huic profecto ſumma tribuenda eſt laus, quod non ſibi ſolum, ſed etiam reliquis, qui poſt ſe in corrigendo moderandoque Calendario elaboraturi eſsent, ſubſidium opportuniſſimum comparavit. Lineam enim meridianam, cum ſocium habuiſſet in hoc difficili laborioſoque opere Philippum Maraldium, ex aere fecit, cujus longitudo aequat pedes Pariſinos LXXV. altitudo vero gnomonis LXII. cum dimidio. Fecit autem in Aede S. Mariae Angelorum, principe quondam loco Thermarum Diocletiani, quem locum propter ſummam aedificii firmitatem omnium maxime aptum judicavit. Praeter diviſiones tangentis, & alia, quae vel ad utilitatem, vel ad ornamentum pertinent, viſuntur duodecim zodiaci ſigna ſingulari opere atque artificio diſparibus coloribus perfecta e marmore: ſingula autem ſigna ſuas habent ſtellas ex aere effictas, magnitudinumque varietate diſtinctas. Proxima eſt gnomoni feneſtra planetarum ſiderumque intra tropicos obſervando-

rum cauſſa, in quo ſummam utilitatem ineſſe omnes norunt Aſtronomi. Elypſim etiam polarem, quod nemo antea praeſtiterat, ſic deſcripſit Blanchinius, ut poli altitudo facillime ex ea omnibus anni temporibus colligi poſſet, quam altitudinem eo loci reperit eſſe 40°. 54'. 27". Rationem vero ſtatuendi per ſidus polare medium noctis tempus ea tradidit epiſtola, in qua de gnomone ſuo, quem a Clemente XI. Clementinum vocat, & de Pontificio nummo illum ipſum repraeſentante cum his inſcriptionibus = *Aptata ſaecula verbo Dei* = *Gnomone Aſtronomico ad uſum Kalendarii conſtructo* = pluribus verbis diſſerit. Ex hac ipſa epiſtola intelligi etiam poteſt, quam ille eſſet aſſiduus, ſi per tempus licebat, in notandis tangentibus meridianis utriuſque limbi ſolaris, iiſque comparandis cum obſervationibus ab Euſtachio Manfredio peractis in gnomone Bononienſi. Profecto non modo cum his, ſed etiam cum ephemeridibus Flaminii Mazzavacchae viri aſtrorum ſcientia praeclari mirabiliter illas conſentire vidit. Pari eſt uſus fortuna, cum ſolis locum inventum per tangentes meridia-

nas utriuſque limbi, & per declinationem centri ſolaris inde collectam contuliſset cum eo, quem invenit ex differentia aſcenſionis rectae inter ſyrium, & ipſum ſolem a ſe obſervatae. Sunt & alia multa, quae Blanchinius ſe obſervaſſe in eadem epiſtola ſcribit de aequinoctiis & ſolſtitiis, de lunae defectibus, de menſis ſynodici quantitate, de ſaturno, de jove, ejuſque ſatellitibus. Fecit aliquando participem Philippum Maraldium earum rerum, quas diuturna obſervatione notaverat de iiſdem ſatellitibus, ſummaſque laudes a ſummo aſtronomo conſecutus eſt. Sed praeſertim Maraldio acceptiſſimae fuerunt obſervationes, quae pertinent ad quartum ſatellitem, ex quibus conjicere ſe poſſe arbitratus eſt ſuis illum minime carere maculis. Contemplanti eumdem acerrime Blanchinio prid. Id. Sext. an. MDCCXI. repente ſe ſe oſtendit forma & luce attenuatum atque imminutum. Obſtupuit hujuſmodi viſu Franciſcus, praeſertim cum ceteris in ſatellitibus nihil ſimile inſpiceret. Sic autem unius horae ſpatio ipſius exiguitas & obſcuratio crevit, vix ut conſpici potuerit, &

pluries etiam ex obſervantis oculis prorſus effugerit. Nunc quoniam referre ingreſſi ſumus quae Blanchinius & geſſit & ſcripſit ad illuſtrandam aſtrorum ſcientiam, cujus ſtudio vehementius in dies flagrabat, & in quo acquieſcere videbatur, non putamus ab inſtitutae narrationis curſu deflectendum. Pariſienſes, atque Lipſienſes Academici multa ſuis in commentariis ſparſerunt, quae Blanchinius notaverat de quibuſdam ſolis, lunae, planetarumque eclipſibus, deque cometarum, qui per illa tempora apparuerunt, motibus. Nonnullas hujus generis obſervationes a Franciſco habitas retulit quoque ſuas in *Praelectiones Aſtronomicas* Guilelmus Wiſtonius, & multo plures leguntur in eo libro, quem edidit anno MDCCXXXVII. Euſtachius Manfredius, quique inſcribitur: *Franciſci Blanchinii Veronenſis aſtronomicae ac geographicae obſervationes ſelectae ex ejus autographis excerptae &c.* Singulare & perpetuum ſtudium Manfredii in Blanchinium & in ipſam aſtrorum ſcientiam facile ab eo obtinuit, ut innumera prope, quae erant confuſe & permixte diſperſa, & quaedam etiam vix adnotata, deſcri-

V 3

pte & electe ſua in loca, ſuaque in tempora digereret. Mirabatur vero Manfredius in tanta copia obſervationum nullam earum extare, quas ante annum MDCCII Blanchinius habuerat, & habuiſſe eum certo ſciebat, quod [illegible]ſa tres Romae meridianas lineas deſcripſerat, unam & alteram in Aedibus Cancellariae, tertiam ad Quirinalis collis radices ea in domo, quam a Lucenſibus conductam incolebat. Sed fortaſſe ipſe dumtaxat rationem habendam cenſuit rerum a ſe obſervatarum ope praeſertim gnomonis Clementini, quo cum uteretur tanta diligentia erat, ut haec nimia & minuta vel accuratioribus videretur. Quis non doleat iſtud inſtrumentum ob renovata Aedis pavimenta nunc vix ullo uſui eſſe poſſe, quod non tam dolenter quereremur, ſi aliud ſimile Romae extaret, quod cum Clementino praeſtantia, fama, utilitateque comparari poſſit. Si hoc turpe fuit Carthuſianis Monachis mali operis architectis & dominis, erunt quidem in gloria ſempiterna quae illius meridianae lineae ſubſidio, multoque ſudore atque labore conſecutus eſt Blanchinius, qui

in Italia Aſtronomorum princeps numerabatur. Vel ipſum Manfredium primas ejus doctrinae conceſſiſſe ex hoc uno intelliges, quod loquens aliquando cum Franciſco Jacquierio de obſervationibus, quae pertinent ad ſtellarum aberrationes, quaeque in illo libro leguntur, non minorem iis laudem, quam Bradlejanis deberi judicavit, ſive tempus, ſive diligentia, ſive acumen, quo habitae ſunt, perpendatur. His de rebus ſaepe etiam mentionem fecit in ſcriptis ſuis, ac praeſertim in ea, quam ad Antonium Leprottum dedit, epiſtola, quaeque relata eſt in I. volumen Commentariorum Academiae Bononienſis. Ajebat enim ſe vehementer gratulari Italiae, *quod novum & graviſſimum Bradlejanis aberrationum legibus acceſſerit a Blanchinii experimentis teſtimonium, idque minime ſuſpectum, cum Blanchinius jam inde ex anno* MDCCXIX. *hos in Capella & Lyra errorum limites agnoverit, octennio ſcilicet ante quam Bradlejus ingenioſam illam ad ſtellarum errores explicandos hypotheſim* (quin demonſtrationem dixit?) *comminiſceretur*. Quibus aliiſque ſucceſſibus alacrior factus Franciſcus difficillima quaeque ſuſci-

pere non dubitavit. Inter haec fuit linea meridiana, quae a Romano littore prope Ardeam ad Adriaticum uſque paullo ultra Ariminum per urbem Romam, Soracte montem & Eugubium pervaderet. Huic lineae alteram parallelam deſignavit, quae a rure Coſtagutiano in littore Antiati incipiens, gradienſque per vineam quamdam Collegii Hibernorum ſubtus Caſtrum Gandulfum, per Vaconis pagum in Sabinis, apicemque montis illi imminentis, cui nomen eſt *monte coſcia*, per alium verticem montis altiſſimi non longe a Cantiano, qui appellatur *monte acuto*, ad oram maritimam portus Ariminenſis, quae orientem reſpicit, deſineret. Dolendum profecto eſt opus hujuſmodi, ex quo utilitates maximae ſperabantur, minime Blanchinum propter immaturum ejus interitum abſolvere potuiſſe; in quo dum elaborabat ſe aequaturum gloriam Caſſinii confidebat, qui hujuſmodi meridianam lineam in Galliae regno deſcripſerat. Sed expectationem diuturni deſiderii noſtri explevere tandem homines Jeſuitae doctrina praeſtantes Boſcovikius & Mayerius, qui ex Blanchinii laboribus haud

mediocria habuerunt auxilia. Euſtachius vero Manfredius hoc ſe debere munus putavit geographiae ſtudioſis, ut cum aliis geographicis multis tabulam locorum, per quae idem meridianus Italicus tranſit, haberent in eo libro, quem ex ſchedis mathematicis a Blanchinio relictis illum confeciſſe diximus. Illa quidem praeclara & glorioſa. Sed nihil omnium judicio eſt ad laudem Blanchinii illuſtrius opere illo, in quo de Heſperi & Phoſphori phaenomenis a ſe primum obſervatis, & ad calculum redactis copioſe diſſerit. Fuit profecto aſtronomicae ſcientiae ad maximas res, quae antea latuerant, detegendas divinitus data fortuna, ut a Galilaeo teleſcopium inveniretur. Etenim hujus inſtrumenti ope vidit ille primus maculas in ſole, atque ex his maculis ſolaris globi converſionem circa proprium axem collegit: vidit etiam jovis ſatellites quatuor, eorumque orbitas; & in venere phaſes lunaribus perquam ſimiles notavit. Hugenius vero annulum circa ſaturnum, & ex illius ſatellitibus unum deprehendit, quatuorque ſatellites alios poſtea conſpexit Joannes Dominicus Caſſinius. Gaſſen-

dus mercurii, Horoccius veneris tranſitus ſub ſolem primi inſpexerunt, alii cometarum ſedem ſupra lunarem, immo ſupra ſaturniam animadverterunt, alii ſtellarum numerum immenſum & prope infinitum, alii in jove faſcias & ejus vertiginem circa proprium axem, alii demum hanc ipſam converſionem, & maculas in marte ſe vidiſse retulerunt. In tot novarum rerum inventione una venus abditiores aſtronomorum obſervationes recuſare videbatur, ut integrum reſervaret Blanchinio campum, in quo ejus virtus excurrere cognoſcique poſset. Uſus hic teleſcopiis, quorum longitudo erat C. palmorum Romanorum toto anno MDCCXXVI. ſive Romae eſſet, ſive in Albano ruſticaretur, Heſperum & Phoſphorum contemplatus eſt, idque acute adeo, diligenter, feliciterque praeſtitit, ut maculas, de quibus ſuſpicionem commoverant Jo. Dominicus Caſſinius, & Philippus Hairius, in eo planeta videre, & metiri, totiuſque ſuperficiei deſcriptionem, quam *celidographiam* appellat, facere potuerit. Definire etiam ſe poſse putavit motum vertiginis ejuſdem planetae circa proprium axem confici

ſpatio dierum XXIV. cum triente, & hujus axem ita inclinari, ut angulum XV. graduum cum plano eclipticae efficiat, ſuiſque polis equum minorem, & cor hydrae reſpiciat, eandemque perpetuo in tota orbita ſibi parallelum permanere. Nemo nunc eſt in aſtrorum ſcientia mediocriter verſatus, qui ignoret ex Caſſinii ſententia illum vertiginis motum multo celerius peragi; neque ſane difficile fuit cauſsam & excuſationem Blanchinii erroris invenire. Nam cum is praelongo uteretur teleſcopio, atque ad motum vix idoneo, haud poterat per plures horas planetam oculis perſequi. Ad eum igitur cum poſtridie rediret, adnotatae antea maculae, quae ei vix motae loco videbantur, ſuam jam converſionem & amplius (& hoc quod exceſſerat obſervatori ſolum apparebat) confecerant. Ceterum ſi quid latuit Blanchinium, multa alia nova & vidit & in lucem protulit; ac laudibus efferre praeſertim videntur aſtronomi, quae ad paralleliſmum, ut vocant, conſtantem planetae axis pertinere diximus, omnino ſimilem illi, quem Copernicus telluris axi tribuendum cenſuit. Idem rationem docuit inveniendae planetae parallaxis, quam conſtare ait

XXIV. minutis, ut loquuntur, ſecundis, & XXIII. tertiis, quam menſuram non una obſervatione confirmavit. Quanti facienda ſit harum rerum inventio, ex eo etiam cognoſci poteſt, quod Euſtachius Manfredius ſcribens ad Thomam Dheramium, in maximo ſuo dolore ob mortem Blanchinii hoc unum ſe habere ſolatium dixit, quod is extremam manum ponere potuerit immortali de venere libro, in quo tot & tam praeclara inſunt inventa, ut nihil de praeſtantia concedant iis, quae tantam gloriam Galilaeo, Hugenio, & Caſſinio compararunt. Neque contentus Franciſcus ſcripto docuiſse homines de his rebus, quas obſervaverat, voluit etiam eas oculis ſubjicere. Globum itaque chartaceum compoſuit, componendique rationem memorato in libro copioſe tradidit, qui venerem praeclare imitatus & campos & maria oſtenderet. His autem maribus maculas denotantibus nomina impoſuit, partim Luſitanorum Regum ac Principum, partim Italorum, Hiſpanorumque Heroum, qui ad extremas mundi plagas primi omnium poſt memoriam hominum penetrarunt, partim doctiſſimorum

Aſtronomorum, partim etiam Academiarum florentiſſimarum. Modum quoque docuit conficiendi machinam ope armillarum rite diſpoſitarum, in qua ſi lucerna locum ſolis teneat, oculuſque in globo terram exhibente collocetur, veneris phaſes, maculae, ejuſque motus tum vertiginis, tum paralleliſmi clare atque diſtincte videri poſſunt. Mirum profecto quam eſset ſolers & ingenioſus in excogitandis fingendiſque machinis tum ad aſtronomiae tum ad reliquarum naturalium facultatum uſum. In commentariis Academiae Pariſ. an. MDCCXIII. deſcriptio legitur machinae cujuſdam, qua quis ſine tubo, & facillime (id profecto minime obtinebat Hugenianum inventum) uti poteſt teleſcopiis maximae longitudinis, de qua re ad Academiam retulit Renatus Antonius Reamurius Blanchinii amantiſſimus. Saepe etiam accidit ut artifices de rebus ad mechanicam ſpectantibus ab eo conſilia exquiſierint, quae ſi eſsent conſignata litteris, intelligeremus fortaſse ipſum in ea arte partim nova attuliſſe, partim meliora feciſſe. Scripſit opuſculum de movendae, erigendaeque Antoninae Columnae ratione, in quo quibuſdam allatis ex Ga-

Galilaeo & Borellio ad aliorum opiniones evertendas, eam viam praeponendam eſse putavit, quam Detrianus architectus in Coloſſo Neronis traducendo ſecutus eſt. Etenim praeter cetera ſtatuit trabes ita columnae aptandas eſse, ut idem praeſtent, quod axes in tormentis bellicis. Sic columna ſuſpenſa verſatili libramento, ſuſtentataque funibus ac fulcris, facile horizonti parallela moveri, & ad perpendiculum erigi potuit. Ad hanc ſententiam convellendam ſtylum ſumpſit Dominicus Quartaronius: ſed is aculeis magis quam rationibus pugnavit. Omnia enim aſperrimus ille Siculus ſtomachabatur. Nec minus Blanchinii doctrina in temporum ſcientia ſuſpicienda eſt. Ei rei ſunt indicio quae de nova condenda chronica periodo, cujus exordium capiebat a mundi origine, cujuſque moderatores eſse debebant ſolis, lunae ac ſaturni motus; nec minus ea, quae de anno mortis Chriſti diſseruit. Qua in poſtrema diſsertatione utens firmiſſimis chronologiae ſubſidiis, monumentis nimirum antiquitatis & aſtrorum ſcientia, definivit ex Tertulliani, Victoris, aliorumque Patrum ſen-

tentia Chriſtum in crucem actum fuiſse VII. Kal. Apriles, Conſulibus duobus Geminis C. Fuſo, & L. Rubellio; hos vero conſulatum geſſiſse anno biſsextili aerae vulgaris octavo & vicesimo; minime vero, ut communis erat opinio, anno nono ſupra viceſimum. Ad quem convincendum errorem mirabili reconditioris eruditionis copia, feliciſſimeque comprobat par unum conſulum e faſtis conſularibus exemptum fuiſse, hocque reponendum an. XXXXI. quo C. Caligula occiſus, & Claudius Nero ad Imperii regimen evectus eſt. Chronologiam etiam illuſtrant quae Franciſcus recitavit in *Academia antiquaria Albana* (hanc ipſum inſtituiſſe, eique leges verbis priſcis dediſſe ſuſpicor) quaeque in lucem ſunt edita de Romae origine, Romanaque hiſtoria ad primam uſque plebis in Aventinum montem ſeceſſionem. Multae res illuſtres ordine & ſuo tempore in iis ſunt notatae, ex quibus Romanorum Regum propagines poſſumus agnoſcere. Ac praeſertim in hoc gloriari jure licuit Blanchinio, quod ignarus earum rerum, quas acute excogitaverat Jacobus Bernullius ad

diſſolvendam difficilem quaeſtionem, num poſito quocumque anno cyclorum lunaris & ſolaris & indictionis, inveniri poſſet annus periodi Julianae ipſi reſpondens, cum tanto viro conſenſerit, & cum eo inventionis gloriam partitus ſit. De ſingulari illius doctrina in re chronologica alia quoque recenſebimus, cum de opera collata ab ipſo in Pontificiam hiſtoriam Anaſtaſii Bibliothecarii erit dicendi locus. Porro Blanchinii induſtria in plura ſtudia diſtracta erat, & hoc maxime in eo admirabantur homines, quod exercitationem mentis a reconditis abſtruſiſque rebus mathematicis tam facile feliciterque ad mitiores litteras traduceret, ut idem doctiſſimus atque eruditiſſimus & haberetur & eſſet. Perſuaſit Summo Pontifici Clementi XI., ut muſaeum conderet, in quo rariora extarent Chriſtianae antiquitatis monumenta. Hujus rei perficiendae cum mandatum accepiſſet Blanchinius multam ſupellectilem brevi colligere potuit. Interea Pontifex arma ſumpſit, ut tectus eſſe poſſet adverſus Caeſariani exercitus, ſi quae forte timendae erant, injurias. Infelix quidem expeditio, & eo infelicior

quod

quod pecuniam exhauſit, quae in Chriſtianum muſaeum, aliaque praeclara opera erat impendenda. Non ceſſavit profecto Franciſcus, quantum ejus opes patiebantur, corrogare quidquid antiquitatem ſaperet, ejuſque domum muſaeum, bibliothecam, officinam liberaliorum artium dixiſſes. Scimus ex homine, qui propter familiaritatem domeſticis illius rebus intererat, paullo minus quadraginta centuſſium millia ab eodem expenſa fuiſſe ſtudiorum ſuorum inſtrumentis comparandis, quorum intemperans in eo eſſe videbatur aviditas. His autem rebus, ſummaque opinione doctrinae atque humanitatis effecit, ut nemo mediocriter eruditus Romam adventaret, qui ad eum adire nollet. Laudes domeſticas externis cumulavit Franciſcus, cum a Pontifice Lutetiam Pariſiorum an. MDCCXII. miſſus eſt, ut Cardinalatus inſignia Armando Rhoanio Subiſio deferret. Totum iter & navigationem conſumpſit partim in percunctando a peritis, partim in contemplando res cognitione dignas; quodque haerebant in memoria quaecumque audierat aut viderat, longam earum narrationem ſcripto expone-

re potuit. Exceptus amantiſſime a Cardinali, nec mediocribus honoribus ab ipſo Galliarum Rege, & a Jacobo III. Stuardio, ejuſque matre Maria Ateſtina Pariſiis per id temporis commorantibus, affectus fuit. Ab iis vero, qui litteris praeſtabant, utroque Caſſinio, Maraldio, Reamurio, Turnteminio, Harduinio, Petro Brunio, Natali ab Alexandro, Monfoconio, Mabillonio, quos duos, cum ii Romae fuiſſent, multo ante habuerat rerum ſuarum laudatores & teſtes, ceteriſque illuſtribus Maurinis Monachis nihil non factum, ut omnia ab ſe amicitiae officia in Blanchinium conſtarent. Jamdiu enim ejus doctrinae fama ipſum praeceſſerat, cujus rei nullum afferre majus teſtimonium poſſum, quam quod anno MDCCV. inter Pariſinae Scientiarum Academiae Socios cooptatus fuerat. Ex multis diebus, quos ille in vita celeberrimos laetiſſimoſque viderit, eum diem clariſſimum fuiſſe dicebat, cum in magno conſeſſu litteratiſſimorum virorum aſſignatum ſibi in Academia locum occupavit. Secundo menſe, poſtquam Blanchinius Pariſios venerat, moritur Joannes Dominicus Caſſinius,

& moritur repentino. Tam acerbe is doluit hominis amantiſſimi caſum, ut ſuavitas illa omnis, quam ex commoratione Pariſienſi capiebat, penitus illi videretur erepta. Quod cum narraret amico, haec, ut arbitror, notatu digna addidit. *Jure angor tali amico orbatus, qualis nunquam erit. Mihi ad urbem accedenti juſſit obviam procedere filium, genitumque ex ſorore Jacobum Philippum Maraldium. Cum ejus domum veniſſem, vultu, voce, collacrimatione & complexu quam deſideratus venerim oſtendit. Quotidie cum eo multa de aſtronomia, aliiſque rebus phyſicis communicabam; augebaturque amor continua conſuetudine. Noſti hominis divinum ingenium, ſingularemque doctrinam. Iis vero erat moribus, ut hi nihil niſi religioſum, & ex ſanctiſſima disciplina repraeſentarent. Quamvis caecus eſſet, ſolebat tamen ſingulis diebus horas canonicas recitare. Sic vero tulit quinquennalem orbitatem viſus, ut amici gratulari magis illius virtuti, quam conſolari dolorem debuerint.* Pariſiis diſcedens Blanchinius Lotharingiam, Alſatiam, Palatinatum, Holandiam, Belgium, ac poſtremo Britanniam luſtravit. Obtinuit ubique Principum doctiſſimorumque hominum

erga ſe humanitatem; natuſque ad agendum ſemper aliquid dignum viro, inveſtigabat, perſcrutabatur & notabat omnia, quae eruditionem juvarent. Londini amicitiam conjunxit cum Iſaaco Newtono, Argentorati cum Edmundo Martenio, Antuerpiae cum Daniele Papebrochio, & dum Amſtelodami eſſet non ſemel adiit Joannem Clericum, ejuſque uxorem, quam cum patre (erat enim e Gregorio Laeto genita) & marito ſtudia eruditionis exercuiſſe ſcribit. Ex his itineribus Romam Franciſcus rediit ineunte menſe Junio an. MDCCXIII. Rediit quoque ad illa ſua priſtina ſtudia aſtronomiae & antiquitatis, in quibus plane conquieſcebat. Cum praeſens adfuiſſet quando Pontifex Maximus viſere voluit S. Leonis Magni corpus, veſtitumque, quo tectum erat, occaſionem ſibi oblatam putavit ſcribendae diſſertationis, quae Pontificatus inſignia in Leonino ſepulcro animadverſa referret, & ex his aliiſque monumentis oſtenderet Romanam Eccleſiam in ſua retinenda Liturgia ſtabilem conſtantemque fuiſſe. Hinc ſacerdotalium veſtium prima inſtitutio, & quaenam ratio in illarum

uſu ſatis eleganter explicatur. Parvum hoc opuſculum ſecutum eſt opus omnino magnum & arduum, quod eſt *de vitis Romanorum Pontificum Anaſtaſii Bibliothecarii*. Has vitas ut emendaret Franciſcus, & variantium lectionum copia locupletaret, non modo Romanas adire debuit bibliothecas, ſed etiam Florentinas, & Parmenſem, qua in poſtrema omnium antiquiſſimus Anaſtaſii codex aſſervatur, illuc Roma non multo antea apportatus. Hac autem in re ſi ſatis mirari non poſſumus hominis incredibilem diligentiam atque patientiam, non minus ſuſpicere debemus ipſius doctrinam in iis, quae contulit ad easdem illas vitas illuſtrandas. Profecto ſi *prolegomena & notas* Blanchinii, quibus is locum dedit in ſecundo & tertio volumine, theſaurum dicam ſacrae eruditionis & chronologiae, minus quam debeam praedicem. Quam multa recondita & abſtruſa in medium profert! quot a novatoribus conficta explodit! quot aperit dubia! quam multa implexa feliciter extricat! Sic vero tractat temporum rationem, ut clariſſimum lumen non ſolum Pontificiae, ſed etiam Conſulari, & Caeſa-

reale hiſtoriae praeferat. Quapropter illud maxime glorioſum eſt Veronae, tres tuliſſe homines, Panvinium, Noriſium, & Blanchinium, adeo de hiſtoria meritos, ut inter illius parentes numerari poſſe videantur. Qua ſane laude ipſius, ut arbitror, geſtiret Blanchinii, quamvis hominis modeſtiſſimi animus, ut pote qui has chronologicas ſcriptiones ceteris operibus ſuis praeferre non dubitabat. Idem elatus ſtudio exornandi ample magnificeque hanc Romanorum Pontificum hiſtoriam, expoſuit in ea plurima Chriſtiane antiquitatis monumenta, quae non videntur reperiri & colligi potuiſſe ſine ſumma elaboratione, atque operae conſumptione. Primum volumen continens Anaſtaſii vitas a B. Petro ad Nicolaum usque, nec non vitas Hadriani II. & Stephani VI. a Guilelmo Bibliothecario deſcriptas cum ſuis variantibus lectionibus prodiit an. MDCCXVIII.; ſecundum quod complectitur easdem illas vitas a B. Petro ad S. Silveſtrum, adjectaque iis prolegomena & commentaria Blanchinii, ac praeterea magnorum virorum Scheleſtratii, Altaſerrae, Bencinii, Binii, Labbei, Cia-

tonii, Pagii & Somierii non niſi quinquennio poſt lucem aſpexit; tertium demum quod Anaſtaſianam hiſtoriam illuſtrat ad Gregorium uſque Magnum, exeunte an. MDCCXXVIII. vulgatum fuit. Reliqua, cum haud conficere potuiſſet Blanchinius vita privatus, curam abſolvendi ſuſceperunt Joſephus Blanchinius illius fratris filius, & Cajetanus Cennius, viri profecto a litteris inſtructiſſimi. Inter ea accidit, ut in Appia via magnificis olim aedificiis Deorum, templis & illuſtrium familiarum ſepulcris ornatiſſima intra I. & II. ab Urbe lapidem detegeretur conclave, magnum illud quidem & exquiſita arte elaboratum, cujus in parietibus diſpoſiti pluribus ordinibus ſubter & ſupra erant loculi, ſive *columbaria*, ad ollas cinerarias adſervandas: ſinguli autem loculi, exceptis iis, qui erant ad angulos, qui unicam propter anguſtias loci, binas ollas fictiles occludebant; & quaelibet olla ſua diſtinguebatur inſcriptione, in qua defuncti nomen, officium, & interdum etiam, ſed raro, aetas erant expreſſa. Id ut audivit Blanchinius, confeſtim illuc advolavit invitatus non tam illo ſuo

ſingulari, perpetuoque ſtudio in vetera monumenta, quam officio. Etenim Clemens XI. jamdiu illum praefecerat Romanis antiquitatibus. Venit eodem cum Blanchinio Cardinalis Alexander Albanius; hique poſtquam omnia luſtraſſent, atque intellexiſſent ſepulcretum illud pertinere ad libertos & ſervos Liviae Auguſtae: *utrum hortandus es a nobis, Franciſce*, inquit Cardinalis, *an potius tua ſponte propenſus es, ut haec monumenta explices? Cenſemus profecto te facillime & perbelle id praeſtare poſſe, tanta eſt cognitio antiquitatis, quae te illuſtrat*. At ille: *faciam*, inquit, *ut potero, praeſertim ſi tibi gratum futurum eſt*. Itaque operi manum admovit, in quo expoſitis primum partibus aedificii, quod ad muſicae leges ſecundum Vitruvii praecepta formatum oſtendit, indicatiſque quibuſdam rebus, quae in more poſitae erant apud veteres, tranſit ad inſcriptiones. Neque eas tantum refert, exquiſitaque eruditione explicat, quae in hoc ſepulcreto inventae ſunt, ſed etiam quae alibi, ad familiam & ad officia domus Auguſti pertinentes; adeo ut ex iis centum quin-

quaginta diverſorum officiorum nomina poſſimus cognoſcere. Hanc varietatem non is profecto mirabitur, qui ſciverit ſervorum libertorumque multitudinem in minimis quibuſque miniſteriis occupatam fuiſſe, quales exempli gratia juſcularii, praeguſtatores, diribitores, a cura catellae, lanipendiae, veſtiplices, margaritariae, auriculae ornatrices, a purpura, a veſte magna, a veſte matutina, ut innumera alia hujuſmodi officia ſilentio praeteream. Eo libentius in hoc opere elaboravit Blanchinius, quod non parum pertinere ad illud exiſtimavit, quod de Palatinis aedibus Caeſarum inſtituerat. Magna quidem & ardua res erat ex miſeris reliquiis illarum aedium velle totam ipſarum formam colligere, parteſque celeberrimas & maximas, ut templa, porticus, baſilicas, bibliothecas, theatra, balnea, ſtativa cohortis praetorianae, & hortos deſcribere. Quare non is, meo judicio, erraverit, qui hanc deſcriptionem divinationem dixerit (& ad divinandum quidem in explicatione veterum monumentorum Blanchinius ſaepe propenſus videbatur) quanquam nihil affirmaverit ipſe ſi-

ne aliqua probabili ratione & conjectura. Non pauca idem conjecit ex marmoreis *fragmentis veſtigii veteris Romae* a Joanne Petro Bellorio illuſtratis; & ex picturis vetuſtiſſimi Virgiliani codicis, qui in bibliotheca Vaticana aſſervatur, cum ex Servio ſciamus Poetam in libro VII. Aeneidum ſpecie deſcripſiſſe Regiam Latini, re vera domum ab Auguſto in Palatino extructam. Multa etiam conjecit ex architecturae regulis, & ex antiquis ſcriptoribus, ac praeſertim Svetonio; plurima vero ex iis, quae in toto Palatino extant, aedificiorum veſtigiis. Fortunate evenit ut an. MDCCXX. tres magnificae detegerentur aulae in ea collis parte, qua Farneſiani horti continentur. Iis enim veluti norma uſus eſt Blanchinius ad Palatinae domus, qualis & quanta fuit Domitiani temporibus, qui eam laxe & magnifice auxit, ichnographiam delineandam. Dolendum ſane quod ille minime abſolvere potuerit opus, in quod magnos ſumptus propter multitudinem magnitudinemque diagrammatum in aere inciſorum, & infinitos propemodum labores inſumpſit. Veniebat frequentiſſime ad Palati-

num, ut ſuis omnia colluſtraret oculis; nec ſemel eum vidiſſes aut ſcalas aſcendere, aut in profunda delabi, aut purgare rudera ſepta vepribus & dumetis. Cum aliquando totus eſſet occupatus in dimetiendo recens detecto conclavi, nec foramen in pavimento advertiſſet, praecipitavit in altiſſimum cavum. Laeſa ei non parum fuit dextra coxendix ſive ex caſu, ſive ex niſu, quem principio fecit, ut ſe ſuſtentaret. Quanquam multa adhibuerit remedia, non ita tamen convaluit, quin claudicaret, & frequentibus afflictaretur doloribus. Conſilio Cardinalis Zondedarii Vignonis balnea, quae ſunt in ditione Senenſi, adivit; vixque ſuppoſuerat debilitatum femur decidentis aquae canali, cum ſenſit plurimum vigoris muſculis inde redditum, liberataſque magna ex parte fibras a glutine. Experiri etiam voluit quid poſſet terra quaedam oleoſa & calida, quae reperitur in flammifero ſolo non longe a *Petramala*, quod eſt oppidulum Etruriae in Apennino poſitum. Femori admota terra, illud non mediocriter laxavit roboravitque. Hoc autem allevamentum ne conſtans diu-

turnumque eſſet; fecit ſumma difficultas, qua pedibus ire & reverti millibus paſſuum duobus; ineptaque via ille coactus eſt. Extat in Actis Academiae Pariſienſis, quae ſunt de rebus an. MDCCVI. Blanchinii ſcriptum, quo collegas docuit de obſervatis a ſe antea in hoc flammifero ſolo. Vidit enim in ambitu centum fere triginta pedum quadratorum viginti flammas hic atque illic ſparſas ad dimidium pedem ſe ſe extollentes, planeque ligneum ignem imitantes. Et quidem ſi in has flammas immittebantur paleae, ceteraque corpora, quae ignem facile concipiunt, brevi conſumebantur. At illud in primis mirandum videbatur, quod ſi quis virga ſolum vel leviter feriret, vel in illud ipſum paleas, chartas, aliaſque ſimiles res projiceret, novae ſtatim erumpebant flammae, eaeque tamdiu ardebant, donec omnis projecta materia ureretur; quin etiam earum una, vel conſumpto pabulo, ardere perſeveravit. Flammas circumſtabant lapides, & glebae ſuavi quodam odore praeditae, quarum conflictu atque tritu ignis eliciebatur. Illud etiam miratus eſt Blanchi-

nius, quod non longius a flammis, quam intervallo duorum pedum, cumuli eſſent nivis, & ſubter nivem glacies; ut, quod de Aetnae ignibus a Claudiano dictum eſt, hi quoque *ſcirent nivibus ſervare fidem*. Harum rerum cauſſas philoſophis explicandas reliquit Franciſcus. Tantum ſuſpicari viſus eſt ignes illos ali continuis vaporibus Adriatici maris, effluviiſque ſubjectae planitiei, quod perpaucis probatum iri puto. Tametſi non bene firmatum femur incommoda itineris augeret, ille tamen Parmam uſque pervenire voluit, quia ſciebat rem gratam ſe facturum Antonio Farneſio Duci, ſi in Colurnano meridianam lineam deſcriberet. Neque hoc ſolum praeſtitit, ſed etiam illuſtria quaedam Graeca & Romana monumenta, quae Farneſianum muſaeum ornabant, explicavit. In his fuit vas illud ex achate verſicolori, ſingulari opera artificioque exculptum, de quo nonnulla etiam ſcripſit Scipio Maffejus in ſecundo volumine *Obſervationum Litterariarum*. Etenim minime inter eos convenit quid deſignarent tres nymphae ſtantes, ſedentemque pariter circum-

ſtantes ſenem, qui dextra balliſtam tenet, quid huic proximus juvenis cum cornu copiae, ac duo viri ſublime elati. Referebat haec omnia Blanchinius ad ἀποθέωσιν Alexandri Magni, Maffejus vero ad Ptolemaeum Auletem, ejuſque familiam, aliique doctiſſimi viri de illo aliter ſentiendum eſſe putarunt. In hoc etiam ſe gratificari Antonio Duci Franciſcus arbitratus eſt, quod commentariolum ſcribendum ſuſcepit de globo Farneſiano. Rude illud & imperfectum reliquit; quod cum in manus perveniſſet Franciſci Jacquierii, dignum judicavit, ut in quo abſolvendo operam poneret. Totum enim refertum erat Graeca Latinaque eruditione, plurimaque continebat ad ſtellarum poſitionem, eclipticae obliquitatem, & Aſtronomiae progreſſus intelligendos utiliſſima. His laboribus minime defatigatus Franciſcus ſtudium etiam non mediocre contulit, poſtquam in Urbem reverſus eſt, ad ordinandum Liberianae Baſilicae tabularium, cujus praefecturam Benedictus XIII. ei detulerat. Sic ſe exercebat, cum exeunte Januario an. MDCCXXIX. correptus eſt febri vehementiſſimiſque ventris dolo-

ribus. Inſanabilem morbum ſtatim judicarunt medici, quod aut inteſtinorum inflammationi, aut hydropi, quod probabilius videbatur, illum aſſignabant. Aegrotus interdum relevari videbatur, tumque ad caeleſtes obſervationes redibat, quarum nonnullae extant tremula manu ab eo adnotatae: mox gravius vehementiuſque affligebatur; quo in ſtatu dies quadraginta conſumpſit conſtantiae aequabilitatiſque praeclara exempla prodens. Poſtremo cum ſanguinem evomuiſſet, naturae debitum reddidit VI. Non. Martias. Quam civitati carus fuerit dolore mortis indicatum eſt. Notae enim erant cunctis ordinibus copia & varietas illius doctrinae, ejuſdemque egregiae virtutes, quae non ſolum ſperare, ſed etiam confidere nos jubent, ejus animam tanquam e cuſtodia vinculiſque corporis ad Deum evolaſſe. Profecto tota illius vita mortis contemplatio fuit; & illud acre ſuum in aſtronomiam ſtudium hoc praeſertim pabulo nutriebatur, quod non ſineret ejus mentem humi defixam eſſe, ſed penitus traheret ad divina & aeterna appetenda. Cum aliquando reprehenderetur ab amico, quod ho-

nores neque cogitaret neque peteret, cum facile eos conſequi poſſe videretur praeſertim propter gratiam, quae ſumma in illo erat: *quae eſt iſta*, inquit, *hominum dignitas*, *&* *ſplendor qui pertinet ad breve vitae curriculum? Nos quidem diuturniora ſpectamus*. Dicebat etiam omnino ſtultos & miſerrimos eſſe illos, qui in praemiis humanis ſpem ponunt laborum ſuorum, quoſque ambitioni deditos futiles laetitiae languidis liqueſaciunt voluptatibus. Non igitur minus beatum illum exiſtimare debemus, quod tot virtutum praeſidio, tantaeque doctrinae comitatu primos vix attigerit Romanorum honorum gradus. Cujus moderationem utinam imitarentur ii, quibus in ingrata faece civitate res minus proſpere ſuccedunt. Etenim illa vera laus eſt mereri, non habere honores, ad quos homines vel ignaviſſimi non virtute, ſed genere commendati per luctum & negligentiam ſaepe perveniunt. Haec quoque ſint Blanchinii pietatis indicia. Nemo fuit illo promptior & diligentior, cum danda eſſet opera rebus divinis. Dabat autem quotidie ad plures horas cum privatim tum publice,

ſive in choro aſſideret, ſive Subdiaconi munus in Sacello Pontificio expleret, ſive templa religionem praecipue invitantia obiret. Neque in ſe ſolum vitae ſanctitatem excolere ſategit Blanchinius, ſed etiam in aliis excitare; poſſemque nonnullos nominare praeclaro exemplo & ſapientiſſimis conſiliis ab eo ex errore ad rectum ſalutis iter traductos. E Britannia ſecum Romam adduxit optimae ſpei adoleſcentem, ut ibi piis & liberalibus diſciplinis inſtitutus ſuis civibus aliquando futurus eſſet utilitati. Illud autem maxime declarat quanta ejus bonitatis eſſet opinio, quod Clemens XI. ad Summum Pontificatum evectus ab eo conſilia exquiſierit, quae pertinerent ad impoſitum ſibi munus recte ſancteque ſuſtinendum. Scripſit igitur paucis diebus opuſculum vere aureolum de Summi Pontificis officiis, in quo exempla illuſtriorum Pontificum, & imaginem antiquitatis diceres intueri. Equidem dum mihi ante oculos pono inſignem in Deum pietatem Blanchinii, Galilaei, Vivianii, Torricellii, Caſſinii, Magalottii, Euſtachii Manfredii, aliorumque multorum in philoſophia facile prin-

cipum, ſtomachari ſatis non poſſum quorumdam temeritatem, qui pronuntiare non verentur, cum pio Dei cultu philoſophiae genus, quod nos hodie ſequimur, aegre ſocietatem habere poſſe. Profecto unde homines Dei cognitionem haurire facilius poſſunt quam ex contemplatione naturae? Quis vero cum cogitet Deum naturae effectorem, atque rectorem, ab eoque nobis impertiri lucem, qua fruimur, innumeraque alia, quibus utimur, commoda, non illum & grate & pie colat? Sed relictis his philoſophiae hoſtibus, ad Blanchinium redeamus, in quo ſatis laudari non poteſt, quod in maxima opinione virtutum, ingenii atque doctrinae maximam ſervaverit modeſtiam. Cum eſſet Diaconus noluit ad Sacerdotium aſcendere, quod ſe tanto gradu indigniſſimum judicaret. De ſuis ſcriptis nihil arrogans aut glorioſum praedicabat, quin immo eadem verbis extenuabat, exquirebatque curioſe quid de iis quiſque ſentiret, atque etiam qua de cauſſa ſentiret, ut ſi quid merito reprehenſum eſſet, corrigeret. Triſtem & horridam ſapientiam ſemper vitavit, ſemperque ſe ſe, quibus rebus hone-

ſte ac religioſe potuit, ad communem morem accommodavit. Itaque irridebat illorum ſtultitiam, qui, ut ait Cicero, ſi quid Socrates, aut Ariſtippus contra conſuetudinem civilem fecerint, locutive ſint, idem ſibi arbitrantur licere. Gravitatem cum ſuavitate ita conjunxit, ut, neutra quidquam detrahente de alterius vi, idem & graviſſimus eſſet & ſuaviſſimus. Quis congreſſum illius, quis facilitatem ſermonis, quis doctrinae, conſiliorumque lumen ab eo unquam deſideravit? Idem ſi in matronarum coetum adveniſſet, exponebat iis aliquid aut ex phyſica, aut ex hiſtoria; cavebatque ne dum utilis eſſe vellet, ineptus judicaretur. Mirum autem quam feſtive, veluti per jocum, ſaluberrima praecepta puerorum animis inſtillaret. Si cum aequalibus verſaretur, quamvis ſermone praepotens eſſet, efficiebat ut unus de multis eſſe videretur. Somni & cibi parciſſimus, videbatur ali oblectatione induſtriae; neque in ulla re fruſtra laborem poſuit, quod ei natura tribuerat verſatile ingenium, ut natum ad id unum dixiſſes, quod ageret. Vel ipſas muſas in aſperitati-

bus rerum mathematicarum faciles expertus eſt, cum paſtoritio carmine celebrandum ſuſcepiſſet natalem diem Jacobi III. Stuardii. Reliquit & orationes, quae jam fermé evanuerunt, quarum una eſt de ſanctiſſimae Trinitatis myſterio, altera de Aſcenſione Domini, tertia de novo eligendo Pontifice ad Purpuratos Patres, quarta de laudibus Leopoldi I. Imperatoris, quam habuit, quando ei juſta ſoluta ſunt in Sacello Pontificio. Porro adeo navus & induſtrius erat Franciſcus, ut ne otium quidem fuerit ei unquam otioſum. Quando itinera fecit per Italiam, vel ut aſſecla eſſet Cardinalis Barberinii, cum hic a Pontifice Legatus miſſus fuiſſet Neapolim ad Philippum V., vel ut Brixiam Cardinali Barbadico purpureum capitis indumentum, quod praecipuum eſt Cardinalatus inſigne, deferret, vel ut valetudini ſuae conſuleret, habuit ſemper ſecum tanquam viaticum, teleſcopium XXIII. palmorum, quadrantem, horologium penduli inſtructum, aliaque inſtrumenta mathematica quibus uteretur, quoties loci temporiſque opportunitas invitaret. Hinc plures ejus a

ſtronomicas & geographicas obſervationes habemus Brixiae, Bononiae, Florentiae, S. Quirici, Aſſiſii, atque Urbini praeſertim; finitimiſque in civitatibus peractas. Manſit enim aliquot menſibus Urbini apud Jacobum III. Stuardium, quo tempore explanationem quoque fecit earum rerum, quae in principe domo extrinſecus inſculptae ſunt. Locus nullus erat, qui ad ſe allicere poſſet hominem antiquitatis, omniumque liberalium artium amantiſſimum, acerrimumque venatorem naturae, quo non accederet contemplator Blanchinius. Cum vero penetraret tabularia, ſua manu tranſcribendo excerpebat ex his ipſis ſiquid ineſſet, quod hiſtoriam maxime illuſtraret. Ex quo intelligi debet minimum temporis momentum illum perire non ſiviſſe. Ita quae aut languorem aut ceſſationem ceteris plerumque afferre ſolent, peregrinatio, ruſticatio, otium & ſolitudo, eumdem acuebant. Simplex & rectus fugiebat eos, in quibus multiplex erat ingenium & tortuoſum. Neminem unquam laeſit; admonitorque leniſſimus dabat peccatis aliquid excuſationis; prope ut concedendum eſſe vi-

deretur. Si quos vero inveniſſet, inter quos aemulatio eſſet laudis, enitebatur ne qua intercederet obtrectatio. Amicitias ſumma cum fide, & quibuſcumque potuit officiis coluit; adeoque iis delectatus eſt, ut ſemper aliquos acquiſierit quos diligeret, & a quibus diligeretur. Cum tota Stuardia domo ſic erat conjunctus, ut in intimis illius eſſet; magnamque iniit gratiam a Vindelico Electore, Violante Medicea, aliiſque principibus viris, quos comitatus eſt in inviſendis iis rebus, quae in Urbe ſunt admirandae. Familiam ſuam ea caritate proſecutus eſt, ut cum de ſuis minimum, de illius commodis plurimum laboraret. Parentes juvenis amiſit, eoſque, quoad vixerunt, commemorabili pietate dilexit & coluit. Nec minus in patriam pius, auctor fuit Scipioni Maffejo, ut de iis rebus, quae ipſam illuſtrant, opus contexeret; ſcripſit ipſe Italico ſermone vitam Cardinalis Noriſii, deditque operam, ut huic atque Onufrio Panvinio monumenta numiſmatum, & hermetum fierent. In hoc quoque ejus liberalis voluntas gratificandi ſuis civibus cognita eſt,

quod maximam librorum ſuorum partem, ſelectioraque monumenta Chriſtianae antiquitatis ſummo ſtudio a ſe, collecta, nec non ſcripta ſua Collegio Canonicorum Veronenſium legavit, cum ejuſdem Collegii hominem meritiſſimum Joſephum Blanchinium fratris ſui filium heredem inſtituiſſet. Pro quibus aliiſque meritis publico decreto ei monumentum illuſtre poſitum eſt in Cathedrali Eccleſia cum hac inſcriptione:

FRANCISCO BLANCHINIO VERONENSI
ET OB EGREGIA IN URBEM MERITA INTER
ROMANOS PATRICIOS CUM SUA GENTE COOPTA
TO UTRIUSQUE SIGNAT. REFEREND. ET PRAEL.
DOMEST. OMNIGENAE DOCTRINAE SINGULARIS
INNOCENTIAE AC MODESTIAE VIRO QUI EXI
MIIS EDITIS LIBRIS DE RE ANTIQUARIA HI
STORIA CHRONOLOGIA ET MATHEMATICIS DI
SCIPLINIS MAGNAM NOMINIS FAMAM APUD
ITALOS EXTEROSQUE ADEPTUS DUM NOVA SE
LECTAE ERUDITIONIS MONUMENTA PROPE
DIEM EVULGANDA PARAT DIEM SUUM OBIIT
ROMAE VI. NON. MARTIAS ANN. SAL.
MDCCXXIX. AET. SUAE LXVII.
PUBL. VERONENSES DECRETO M. P.

Monumenta quoque eidem decreverunt Capitula Veronenſe, & Romanum Liberianae

Baſilicae, qua in Baſilica corpus ſepulturae mandari juſſit. Sed tempus eſt hujus vitae finem facere, in qua exponenda ſi longiores nos fuiſſe accuſabimur, dabit nobis juſtam defenſionem Xenophon, qui virorum virtute praeſtantium non maxima modo, ſed & minima, & vel ipſa joca digna eſſe ait, quae memoriae commendentur.

OPERA EDITA.

VITA di Geminiano Montanari. *Edita eſt Patavii cum opere poſthumo ejuſdem Montanarii de Turbine.*

De emblemate, nomine atque inſtituto Alethophilorum diſſertatio. *Edita eſt cum aliis diſſertationibus ad eamdem Academiam pertinentibus. Veronae* MDCLXXXVII. *Alia diſſertatio in eadem Academia habita extat in* Gior. de' Letterati di Parma 1687. p. 210.

Rime varie *reperiuntur inter carmina* degli Accademici Concordi di Ravenna 1687. Bologna per l' Erede del Benacci 1687. in 12. *Ejus ode latina de laudibus Helenae Lucretiae Corneliae Piſcopiae edita eſt Patavii* MDCLXXXVII. *inter* le pompe funebri celebrate dagli Accademici Infecondi di Roma per la morte di detta donna.

Iſcrizioni Sepolcrali nel Catafalco di Aleſſandro VIII.

Iſtoria univerſale provata con monumenti, e figurata con ſimboli degli antichi. Roma 1697. in 4.

Giuoco di carte per apprendere la Storia univerſale. Roma 1695.

De Kalendario, & Cyclo Caeſaris, ac de Paſchali Canone S. Ippolyti Martyris diſſertationes duae ad SS. D. N. Clementem XI. Pont. Max.; quibus inſeritur deſcriptio & explanatio baſis in Campo Martio nuper detectae, ſub Columna Antonino Pio olim dicatá. His acceſſit enarratio per Epiſtolam ad Amicum de nummo, & gnomone Clementino Auctore Franciſco Blanchinio Veronenſi Baſilicae S. Laurentii in Damaſo de Urbe Canonico S. D. N. ab honore Cubicul., & a Secretis Sac. Congreg. Kalendarii. Romae 1703. Typis Aloyſii, et Franciſci de Comitibus Impreſſorum Cameralium.

Solutio problematis Paſchalis ad abſolutam emendationem tabularum Paſchalium juxta cyclum annis 1184. Gregorianis conſtantem. Romae 1703. in fol.

Conſiderazioni teoriche e pratiche intorno al traſporto della Colonna di Antonino Pio collocata in Monte Citorio fatte da Monſignor Franceſco Bianchini ec. in Roma 1704. nella Stamperia della Reverenda Camera Apoſtolica in 4.

Jura producta in cauſa Romana Fontis Baptiſmalis pro Ven. Baſilica S. Laurentii in Damaſo &c. Romae 1706. in fol.

Oratio de Sacratiſſima Trinitate. Romae 1684.

—— de Aſcenſione Domini. Romae 1689.

—— in funere Leopoldi I. Caeſaris Auguſti. Romae 1705.

—— de eligendo Summo Pontifice poſt obitum Innocentii XIII. ad Sacrum Coll. S. R. E. Cardinalium.

Romae 1724. *Edidit ſecundo hanc Orationem Blanchinius à ſe in Italicum converſam.*

Epiſtola de Lapide Antiati ad Franciſcum Aquavivam Romae 1698.

— — ad Hiſtoriam Legationis Pontificiae Eminentiſſimi Cardinalis Barberini ad Sereniſſimum Regem Catholicum Philippum V. Neapoli anno 1703.

— — de nobiliſſimo hoſpite, Comitis de Trauſnitz nomen profeſſo, & in Villa Pinciana Burgheſiorum Principum excepto die 27. Maii 1716. Romae 1716.

— — de aureis & argenteis cimeliis effoſſis hoc anno 1717. Menſe Januario in arce Peruſina ad Alexandrum Albanum, ſeu Analecta eruditae vetuſtatis.

— — de Eclipſi ſolis die 22. Maii 1724. ad Octolinum Octolinium. *Probare contendit Auctor hanc eclipſem ſimilem fuiſſe ei, quam refert Dio libro 56.*

— — ad Joannem Mabillonium de emendata [illegible] Epiſtola Euſebii Romani ad Theophilum Gallum. *Extat in Tom. I.* des Ouvrages poſthumes de D. Ian. Mabillon ec. à Paris 1724. in 4.

Vita del Cardinal Noris. *Edita eſt Romae inter Vitas* degli Arcadi illuſtri par. I.

Anaſtaſii Bibliothecarii De Vitis Romanorum Pontificum, cum Praefatione, Prolegomenis, variantibus lectionibus & notis hiſtoricis Franciſci Blanchinii, & aliorum notis hiſtoricis ec. Tom. III. in fol. Romae e Typographia Vaticana apud Joannem Mariam Salvioni in Archigymnaſio Sapientiae. *Prodiit primum volumen anno 1718. ſecundum anno 1723. tertium vero anno 1728. Ex hoc volumine excerptae fuerunt, & ſeparatim editae.*

Diſſertationes duae de Praeſepe Chriſti Domini, & de muſivo Baſilicae Liberianae ec. *Non pauca reliquit Blanchinius, quae pertinebant ad quartum Anaſtaſii volumen. Edidit hoc volumen Joſeph Blanchinius an.* 1735.

Il Giorno Natalizio di Giacomo III. Re d' Inghilterra. Cantata Paſtorale. Roma 1720.

Spiegazione delle ſculture contenute in 72. tavole di marmo e baſſi rilievi collocati nel baſamento eſteriore del Palazzo di Urbino, che rappreſentano macchine, e molti altri iſtrumenti, e arneſi di guerra ſpettanti all' arte di guerra antica, e moderna da Monſignor Franceſco Bianchini Veroneſe fatta già in idioma latino, ed ora dal medeſimo traſferita in lingua Italiana. *Extat in libro cui titulus*: Memorie concernenti la città d' Urbino. In Roma 1724. preſſo Giammaria Salvioni. *In eodem libro extant quoque*

Notizie e Pruove della Corografia del Ducato d' Urbino, e della longitudine, e latitudine geografica della Città medeſima, e delle vicine, che ſervono a ſtabilire quelle di tutta l' Italia di Monſ. Franceſco Bianchini.

Camera ed Iſcrizioni ſepolcrali de' Liberti, Servi, e Ufficiali della caſa di Auguſto ſcoperte nella Via Appia ed illuſtrate colle annotazioni di Monſig. Franceſco Bianchini Veroneſe l' anno 1726. In Roma appreſſo Giovan Maria Salvioni 1727. *Eodem anno, ſed ſerius, prodieru Florentiae illuſtrationes in eaſdem inſcriptiones latine factae a Antonio Franciſco Gorio.*

Heſperi & Phoſphori nova phaenomena, ſive obſervationes circa planetam Veneris, unde colligitur I. Deſcriptio illius macularum, ſeu Celidographia. II. Vertigo circa axem proprium, vel Perieleſis ſpatio dierum 24. cum

triente. III. Paralleliſmus Axis in orbita octimeſtri circa ſolem. IV. & quantitas Parallaxeos methodo Caſſiniana explorata nunc primum editae ſub auſpiciis ſacrae Regiae Majeſtatis Joannis V. Luſitaniae. ec. Regis a Franciſco Blanchinio Veronenſi Sanctiſſimi Domini noſtri Papae Praelato domeſtico. Romae apud Joa. Mariam Salvioni 1728. in fol.

Franciſci Blanchini Veronenſis aſtronomicae, ac geographicae Obſervationes ſelectae, ex ejus autographis excerptae una cum meridiani Romani tabula; cura & ſtudio Euſtachii Manfredii. Veronae an. 1737. in fol. *Retulit in illum ipſum librum Manfredius nonnullas aſtronomicas obſervationes, quibus locus antea datus fuerat in Actis Lipſienſibus & Pariſinis. Exhibent enim Lipſienſa acta anni 1685. p. 189. & p. 241. obſervata a Blanchinio de comete, qui apparuerat an. 1684.: eodemque in volumine extat etiam* nova methodus Caſſiniana obſervandi parallaxes & diſtantias planetarum a terra, tentata Romae a clariſſimo Abbate Franciſco Blanchinio. *Acta vero anni 1686. continent obſervationes Blanchinianas de lunae eclipſi, quae maxima facta eſt an. 1685. die X. Decemb. Multo plura habent Pariſienſis Academiae acta, quae pertinent ad Blanchinium. Haec ſunt; obſervationes eclipſium lunae annorum 1693. 1697. 1703. 1707. & 1718. eclipſium ſolis 1708. & 1715. Jovis, ejuſque ſatellitum 1715. 1716. veneris 1720. nec non obſervationes cometarum an. 1702. & 1723. His adde:* Reflxions ſur des memoires tuchantes la correction Gregoriane: *vid. vol. an.* 1704. Extrait des obſervations faites ſur des feux qui ſe voient a Pietramala. *vid. volumen an.* 1706. Fragmentum planiſpherii Aegyptii & Graeci antiquo marmore inſculptum & aſſervatum in cimeliarchio Pontificio Palatii Vaticani e ruderibus Romae egeſtum anno

1705. *extat in vol. an.* 1708. Deſcription d'une machine portative propre a ſoutenir des verres de tres-grands foyers: *extat in vol. an.* 1718. *Demum, quod glorioſiſſimum fuit Blanchinio, legitur in iiſdem Actis illius vita a Fontanellio elegantiſſime ſcripta. Obſervationes aliae non ſolum aſtronomicae, ſed etiam phyſicae a Blanchinio peractae, vulgatae ſunt a Scriptoribus Ephemeridum Parmenſium, & a Guilelmo Wiſthon in ſuo libro, quem inſcripſit:* Praelectiones Aſtronomicae *edito anno* 1707.

Del Palazzo de' Ceſari Opera poſtuma di Monſi. Franceſco Bianchini Veroneſe. In Verona 1738. per Pierantonio Berno in fol.

Opuſcula Varia Franciſci Blanchini nunc primum in lucem edita ex ejus manuſcriptis libris auctographis, qui ex teſtamento adſervantur in Archivio ampliſſimi Capituli Sanctae Veronenſis Eccleſiae, Romae 1754. Ex typogra[redacted]Haeredum Jo. Laurentii Barbiellini. Tom. II. in 4. *En index Opuſculorum. In vol. I.* De profunditate laci Albani: De diſtantia Caſtri Gandulphi ab Urbe: De Albani aeris ſalubritate: Cur corpora eorum, qui ſuffocati in aquis perierunt, poſtquam pluribus diebus in aquae imo ſtagnaverint, ultro ſuper ejus ſuperficiem aſcendant: Experimenta peracta in decem generibus aquarum anno 1709. Epiſtola Cuperii ad Fontaninum de inſcriptione quadam Palmirena: Epiſtola Blanchini ad Cuperum de eadem inſcriptione: Epiſtola Cuperi ad Blanchinum de eadem inſcriptione, de ruinis Perſepoleos, & de ſtatua Bacchi: Alia ejuſdem Cuperi de commemorata inſcriptione Palmirena, & de characteribus Perſepoleos: Alia de nonnullis aureis nummis Veſpaſiani, Gordiani, Trajani, Decii, & Honorii, & de icuncula aerea barbari Ducis, cujus e colle pendet Con-

Rantini Magni nummus: Epiſtola Ant. Mariae Salvini ad Blanchinum de inſigni quadam inſcriptione Graeca bis ſepulti pueri: Judicium Blanchini de vaſe antiqui operis aſſervato Parmae: Diſſertatio de anno mortis Chriſti.

In II vol. Diſcorſo accademico, in cui ſi moſtra, che ſiccome la gloria, così la delizia di una mente Criſtiana ha il ſuo principio e il ſuo compimento nella Croce del Salvatore: Lettera a Clemente XI. ſopra alcuni nomi di ſette Angeli eſpoſti in un quadro d'altare della Chieſa di S. Maria della Pietà di Roma: Lettera a Monſignor Olivieri ſopra alcune pitture ritrovate coi nomi de' SS. Martiri Felice, e Adaucto, e di S. Emerita Vergine e Martire nel cimiterio di eſſi Santi, detto anche di Comodilla; Diſcorſo intorno alla Cronologia profana dopo il tempo delle Olimpiadi: Dialogo ſopra l' applicazione del ciclo Ottagrammo alle Olimpiadi, e alla Cronologia del tempo iſtorico in anni Gregoriani, e Giuliani: Lettera [illegible]ro Gabrielli al Cuſtode generale d' Arcadia ſopra l' Efemeridi Arcadiche: Lettera di Selvaggio Affrodiſeo (cioè di Monſig. Bianchini) al medeſimo Cuſtode: Applicazione del ciclo Ottagrammo alle Olimpiadi degli Arcadi: Deſcrizione della linea meridiana fatta nella Chieſa di S. Maria degli Angeli alle Terme di Diocleziano: Sopra la medeſima linea lettera ſcritta al Conte Giovambatiſta Bianchini: Diſcorſo accademico della Genealogia di Romolo, e dell'epoca della fondazione di Roma: Altri ſimili diſcorſi della Genealogia e Cronologia di Numa Pompilio, di Tullo Oſtilio, di Anco Marzio, e di Servio Tullio: Diſcorſo accademico della Cronologia della Romana Repubblica provata per i Conſolati: Altro della Cronologia de' Romani dal primo Conſolato di Bruto fino al pri-

mo ammutinamento della plebe ſull' Aventino, e dell' uſo della medeſima Cronologia: Lettera circa l'anno eraſo da' Faſti; Altra ſopra alcune iſcrizioni de' baſſi tempi; Deſcrizione del Depoſito eretto da Clemente XI. a Criſtina Regina di Svezia nella Baſilica Vaticana: Dei doveri del Papato a Clemente XI.

Diſcorſo ſopra la perpetua Efemeride Arcadica ad Alfeſibeo Cario; *legitur in libro, cui nomen*: Memorie iſtoriche delle Adunanze degli Arcadi. In Roma 1761. nella Stamperia de' Roſſi.

Diſſertatio de tribus generibus inſtrumentorum muſicae veterum organicae. Romae 1742. in 4.

Epiſtola ad Cuperum *de numiſmatibus quibuſdam aureis. Extat in vol. IV.* de' ſaggi dell' Accadem. di Cortona; *alia de laudibus cujuſdam operis a Gaſpare Beretta editi extat in vol. II.* Bibliothecae Benedect. Caſin: *alia ad Mabillonium extat in vol. I.* oper. Poſthum. *ejuſdem; alia ad Ottolinium extat in vol. XV. collectionis* Callogeranae, *demum, ut aliis minoribus epiſtolis ſileam, quatuor ad Magliabechium leguntur in vol.* I. Epiſtolarum clarorum Venetorum *ad eumd.*

Praeter ea, quae hucuſque recenſuimus Blanchinii ſcripta ab eo aliiſque in vulgus edita, ſunt & alia, quae minime lucem aſpexerunt. Talia ſunt *Itinera Italica Gallicum, & Anglicum; Obſervationes variae phyſicae; Globus Farneſianus; Diſſertatio de veſtibus Pontificalibus: Oratio ad Alexandrum VIII. dum Bibliothecam Ottobonam inviſeret: Carmina nonnulla Italica: Diſſertatio de Amphitheatro Albano, aliaque multa ad antiquitatem pertinentia; Hermes, ſeu Mercurius: Pantometer ad indagandas Eclipſes, quae fuerunt quaeque futura ſunt: Acta Congregationis Kalendarii, & familiares epiſtolae.* Optandum ſane eſſet, ut aliquis curam

ſuſciperet edendi epiſtolas quas Blanchinio de rebus ad eruditionem pertinentibus dederunt Leibnitius, uterque Caſſinius, Maraldus, Euſtachius Manfredius, Caeleſtinus Gallianus, Scipio Maffejus, Antonius Magliabechius, Philippus Bonarrotius, Montfoconius, Bongiurius, Mabillonus, aliique viri, quos ei ſimilitudo ſtudiorum, cujus ſummam vim ad conjungendas amicitias omnes norunt, fecerat conjunctiſſimos.

Neque ſilentio praetereundum eſt Blanchinium opus inſtituiſſe, quod perſecutus eſt ejus fratris filius Joſeph Blanchinius, quodque inſcribitur: *Storia Eccleſiaſtica provata co' monumenti originali di ſtatue e baſſi rilievi*.

ANGELUS FABRONIUS

ALEXANDRO KALEPHATE

S. P. D.

ET epiſtolam tuam legi libenter, & librum libentiſſime, quem de vita Julii Laurentii Selvagii ad me miſiſti. Sed tamen in ea voluptate hunc accepi dolorem, quod cum jamdiu incendiſſes cupiditatem meam de Mazochio ſcribendi, ſpemque mihi feciſſes multa per te de illo comperiendi, me nunc ad aliud tempus rejicias, occupationes tuas reique difficultatem excuſans. Exiſtimas fortaſſe immortalis hominis ingenium melioribus per alium, quam per me fieri poſſit, elatum iri laudibus, in quo quidem tecum facile conveniam: neque enim ita me decepit communis φιλαυτία, *ut de ſcribendi arte multis facile non concedam. Quid ille, quem noſti, promiſſor, & num magno dignum aliquid hiatu effecturus ſit, praedicere non auſim. Qui antea calebat, nunc frigere dicitur. Tu tamen eas epiſtolas, quibus liberius de eo ſcripſi, aliquando concerpito, ego*

item tuas. Non enim is eſt ex illo hominum genere, a quibus cum parum, aut nihil ſperes boni, nihil quoque metuas mali. Nam eſt mirifice concitus ad rixam, fuitque ſemper opinionum rerumque omnium ſuarum litigioſus defenſor, quia fortaſſe hac via aliquam nominis celebritatem aſſequi ſe poſſe confidit. Sed nolo plura de illo, ne videar ex alterius inſcitia aliquid colligere velle laudis. Illud potius tecum conquerar, quod tua factum eſt culpa, ut quem deſtinaveram locum Mazochii vitae (propoſitum enim erat hoc comprehendere volumine vitas hominum antiquitatis conſultiſſimorum) ad quam conficiendam opus eſt hoc limatulo ac politulo judicio tuo, & illis interioribus litteris, eum nunc concedere cogar Virginii Valſechii & Philippi a Turre vitis, qui homines & eruditione, & acumine ceteriſque rebus, quas a perfecto antiquitatis inveſtigatore requirimus, nullo modo ſunt cum Mazochio comparandi. Quae ad Philippum a Turre pertinent, contexuit Jacobus Facciolatus; neque multus in iis eſſe voluit, quod vita breviſſima quaeque optima ei videretur. Imitatus ſum illius exemplum de Valſechio ſcribens, quod eo facilius fuit, quo minora patuere in ejus vita, quae

feriret fortuna, quod pacatius vixerit, & quod parcius gloriae conſulendum putaverit. Eſt autem in his duobus hominibus illud admiratione dignum, quod cum diſputatio inter eos orta fuiſſet de rebus graviſſimis, ita rem gerendam putarunt, ut veritatis, minime vero contentionis, cupidi viderentur. Quod quidem libenter & meminero ſemper & praedicavero ad ſanandam, ſi fieri poteſt, multorum petulantiam, qui ſtomachum erumpunt ſtatim ac aliquid reprehenſione dignum in eorum ſcriptis te inveniſſe dixeris, aut ad tacite coarguendam illorum imprudentiam, qui non jam ſtudium honeſtae & pacificae aemulationis, cum aliquid in lucem emittunt, ſed bellum provocant, quaſi inglorium ſit pennigero, non armigero in corpore, ut eſt Philoctetis dictum apud Ciceronem (1) tela exercere. Quoniam in omni vita rectiſſime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt motus animi nimios, rationi non obtemperantes, ſic ejuſmodi motibus ſcripta noſtra vacare debent, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut ſuperbia, aut invidia, aut quid tale appa-

(1) Epiſt. fam. lib. VII. epiſt. 33.

reat. Si vero, ut ſaepe ſit, utendum nobis eſt objurgationibus, eae omni acerbitate carebunt; & dum clementem caſtigationem gravitati adjunctam adhibemus, imitabimur prudentes medicos, qui ad urendum & ſecandum raro invitique animum inducunt, nec unquam niſi neceſſario, ſi nulla reperiatur alia medicina. Haec praecepta ſi quis nobiſcum non ſervet, & nobis indigna effutire non dubitet, retinebimus tamen gravitatem, atque iracundiam, cum qua nihil recte fieri, nihil conſiderate poteſt, repellemus, ſicque moderabimur ſtilum & linguam, ut noſtri & aliorum rationem habeamus. Sed nobiſcum quoque melius agemus, ſi ſilentio comprobabimus neque libera voce, neque conviciis nos moveri poſſe, Demoſthenis imitantes exemplum, qui cum ab obtrectatore quodam conviciis provocaretur, non deſcendam, inquit, in hujuſmodi certamen, in quo qui victus fuerit, multo melior eſt eo, qui vicerit. Pleni ſunt philoſophorum libri praeceptis & exemplis, quibus monemur ſic ulciſci iniquos reprehenſores, ut majora & meliora quotidie magis & moliamur & perficiamus, neque patienter modo, ſed etiam hilariter nos ferre debere illorum voces, quod virtuti ſemper comes fue-

rit invidia, quodque eam non aliter ſequatur, atque umbra corpus. Non defuit Homero Zoilus ſuus; habuere acerrimos reprehenſores Plato, Ariſtoteles, Demoſthenes, Cicero, Virgilius, & nos homunculi ſcriptis noſtris aliquid objici indignabimur? Rem lepidam tibi narro. „Cum primum animum ad ſcribendum de vitis Italorum doctrina excellentium appuli, ecce mihi litterae ab homine, cujus fortaſſe intererat me ab opere hujusſmodi avocare, acerbitatis pleniſſimae, quibus acerbiora quoque mihi minitabatur, ſi porro in incepto perſiſterem. Quid quaeris? Huic minaci & arroganti homini reſcripſi Graeca inſcriptione, quam in urna ſcalptam Romae videram, quaeque ſic ſe habet, ΟΥ ΜΕΛΕΙ ΜΟΥ. Ex illo tempore nullas amplius moleſtias ille mihi exhibuit; ego in ſuſcepto conſilio ſic perſeveravi, ut additos mihi ſtimulos non mediocres ad conficiendum curriculum, ex quo ipſe me revocare conabatur, exiſtimaverim. Quare idem quodammodo gloriari poſſe videor, quod fortiſſimus ille atque ſapientiſſimus Macedoniae Rex Philippus, qui ſe principibus Athenienſium maximam habere gratiam praedicabat, eo quod conviciis effecerint, ut ipſe in rebus gerendis induſtrior, atque gra-

tione iiſdem exponendis politior evaſerit. Atque haec quidem, non ut te inſtituerem, ſcripſi (neque enim prudentia tua cujuſquam praecepta deſiderat) ſed me in ſcribendo commemoratio alienae virtutis delectavit; & ſane opportuniſſimum videbatur Gronovii & Fabretti petulantiae (1) *(quibus enim injuriis in diſputando pepercerunt?) opponere Valſechii atque a Turre lenitatem, ut diſſimilium comparatione quid fugiendum, quidque ſequendum magis magiſque appareat. Vale.*

Piſis Kal. Mai. MDCCLXXX.

(1) Vid. ſupra p. 196.

VIRGINIUS VALSECHIUS.

VIrginius Valſechius Joſephi Filius Brixienſis natus eſt an. MDCLXXXI. Vix e pueritia exceſſerat cum in Florentino Coenobio S. Mariae ſe dedit Benedictinae familiae, ab eoque tempore floruit illuſtri ingenio & induſtria. In eodem Coenobio profeſſus eſt philoſophiam primum, deinde rerum divinarum ſcientiam, ac poſtremo jus Pontificium; nec his modo facultatibus, quibus ſtuduit ipſe ſemper, ſed etiam imitatione ſui erudivit juvenes collegas ſuos. Erat enim innocentiae, pietatis, omniſque chriſtianae virtutis exemplum. Volens e domeſticis parietibus doctrinam ſuam in publicum, hominumque lucem proferre poſtulavit, magni nominis amicis ſuffragantibus Benedicto Bacchinio, Joanne Joſepho Urſio, Apoſtolo Zeno, & Jo. Dominico Theupolo, ut locus ſibi daretur in Academiae Paravinae Doctoribus. Deerat enim qui ſcholam ſa-

crarum litterarum explicaret. Sed antelatus ei fuit Hyacintus de Tontis ex Auguſtinianorum familia, homo hac una commendatione cognitus, quod ejus eloquentiam plurimum laudaverant, probaverantque monaſtriae S. Zachariae. Aequiorem ſe praebuit Valſechio Coſmus III. Magnus Etruriae Dux, a quo an. MDCCXI. ſacrarum litterarum magiſter in Academia Piſana declaratus fuit. Erat Coſmo notiſſima excellens Valſechii doctrina non modo in iis litteris, quas profiteri debebat, ſed etiam in ſtudiis antiquitatis, cum per eos dies in vulgus edidiſſet Diſſertationem *de M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia Poteſtate V.*, quam ad ipſum Coſmum inſtituerat. Res erat inquiſitione digna, quod in definiendis annis Imperii Elagabali magnam eſſe difficultatem diſcrepantes illuſtrium ſcriptorum de iis ſententiae ſatis oſtenderent, quodque illa non bene cognita, alias res ad Chriſtianam ſaeculi III. hiſtoriam pertinentes ignorari neceſſe eſſet. Sequitur Valſechius Dionem Caſſium ejusdem aetatis, qua erat Elagabalus; qui perditiſſimum hunc Imperatorem annos tres, menſes

novem, & dies quatuor regnaſſe affirmat; hujus imperii initio ducto a pugna, qua circiter diem VII. Id. Jun. an. Urbis conditae DCCCCLXXV. Chriſti CCXXII. Macrinum devicit. Quamvis hanc Dionis ſententiam mirifice confirmare videantur, quae ſunt inſcripta in cathedra marmorea S. Hippolyti Epiſcopi Portuenſis, quod praeclariſſimum antiquitatis monumentum ornat Vaticanam bibliothecam, multa tamen alia, eaque graviſſima adverſabantur; quae ſic perpendit, ſic diluit Valſechius, ut dum lucet mirum illius acumen, luceat etiam res ipſa, plurimis remotis, quae obſcuritatem & tenebras afferebant. Octodecim fere poſt menſes, quo haec vulgata ſunt, prodiit Joannis Vignolii *Diſſertatio de anno primo Imperii Severi Alexandri Aug. quem praefert Cathedra marmorea S. Hippolyti Epiſcopi*; nec multo poſt Philippus a Turre librum emiſit *de annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, & de initio imperii, ac duobus conſulatibus Juſtini Junioris*; quibus in libris multa ſane erant, quae prolata a Valſechio oppugnabant. Non deſtitit Benedictus Bacchinius omnium conſiliorum Valſechii ſa-

pientiſſimus moderator hunc hortari, ut reſponderet ad ea, quae objecta fuerant, quod fecit Diſſertatione *de initio Imperii Severi Alexandri Augusti* edita Florentiae an. MDCCXV. qua non modo contraria, modeste tamen, refutavit, ſed ſua magis magisque confirmavit. Habet quidem haec diſſertatio multa praeclara, quae nunc etiam graviſſimi & ſeveriſſimi judices & probant & efferant (1), ſed illa praeſertim oſtendit Auctoris in Latine ſcribendo elegantiam, exquiſitam eruditionem, ejuſdemque acre judicium in expendendis antiquitatis monumentis, in ſeparandis falſis a veris, his explicandis, inter ſe comparandis, trahendiſque ad ſuam ſententiam. Hic liber cum & Bacchinio, ceteriſque, quos poſſe judicare arbitrabatur Valſechius, fuiſſet perquam acceptus, majora ſuſcipere meditabatur, quae Romanam antiquitatem illuſtrarent; ſed fuere homines magnae auctoritatis, qui ipſum ad alias litteras vocarunt, genus hoc ſcriptionis, quamvis ſit elegans, jucundum

(1) V. Gibbon. Iſtoria della Decadenza e Rovina dell' Impero Romano Tom. 1. p. 260. Piſanae, quam nos curavimus, editionis.

& utile, perſonae tamen & officii haud eſſe affirmantes. Quanquam & officio ſuo ſic ſatisfaciebat Valſechius, ut qui ejus ſcholam frequentarunt, inter quos honoris cauſſa nomino Franciſcum Cajetanum Incontrium Archiepiſcopum Florentinum, ſaepe mihi teſtati ſunt, non potuiſſe neque accuratius, neque eruditius ſacras litteras exponi. Quoniam vero quod ſemel admiſſum coerceri reprimique vix poteſt, facile libenterque reſpondebat Valſechius iis, a quibus de antiquitate conſulebatur; ſuntque in manibus, quae de legibus, quibus olim paruere Piſani, ad Guidonem Grandium ſcripſit. Nec ſtudioſe minus antiqua (ſacra tamen) perſequi voluiſſe videtur, cum librum *de Indulgentiis* confeciſſet. Melius enim moratos fore homines non dubitavit, cum didiciſſent quae majorum inſtituta fuerunt in puniendis peccatis, & quae, ſervata illa, quae de caelo delapſa eſt, caritatis regula, ad quam omnia actionum judicia dirigi debent, illos agere, ſi quid forte peccaverunt, oporteat. Multa ſunt alia Valſechii opera, ſed haec maxime illuſtria, quorum cum ſummas tantummodo at-

ligerim, vereor ne ſatis appareat quantus vir ille fuerit. Sed profecto dignus eſt, cujus memoriam excipiant omnes anni conſequentes, non tam propter excellentem illius doctrinam, quam propter eximias animi dotes, quas, ut jucundiores eſſent, commendabat etiam corporis pulchritudo. Factus Abbas ſui Florentini Coenobii ita praefuit huic poteſtati, ut amari quam metui maluerit. Lenitate enim in primis delectabatur, quanquam eodem tempore nihil tam ei cordi erat quam familiae gravis & conſtans diſciplina: Magni quidem hominis eſt, & cum ipſa natura moderati, tum vero etiam doctrina atque optimarum artium ſtudiis eruditi, ſic ſe adhibere in omni proteſtate, ut nulla alia poteſtas ab iis, quibus ipſe praeſit, deſideretur. Utrum mitior ipſe eſſet in obliviſcendis injuriis, an gratior in beneficiis memoria cuſtodiendis, haud facile dixeris. Quapropter floruit ſummorum hominum amicitiis, acceptuſque fuit Magnis Ducibus Etruriae Coſmo III. hujuſque filio Joanni Gaſtoni, nec non Clementi XII. P. M. cui Academiae Piſanae nomine (is enim adoleſcens fuerat inter illius alumnos) de ſumma dignitate per litteras gratulatus

eſt. Venit etiam gratulator ejusdem Academiae verbis ad Franciſcum Lotharingium & Mariam Tereſiam Auſtriacam ob ſuſceptum Etruriae imperium; ſed hujusmodi Latina illius oratio fuit, ut malevolorum oculis cauſſam fortaſſe minime injuſtam obtrectandi daret, quibus non eſt credibile quantopere ille commotus ſit. Neque multo poſt in morbum aquae intercutis incidit, ex quo mortem Florentiae obivit non. ſext. an. MDCCXXXIX. aetatis ſuae an. LIX. nondum expleto.

OPERA EDITA.

De M. Aurelii Antonini Elagabali Tribunitia poteſtate V. Diſſertatio hiſtorica-chronologica Auctore D. Virginio Valſechi a Brixia Monacho Benedictino Congregationis Caſinenſis. Florentiae 1711. typis Regiae Celſit. apud Jacobum de Guiduccis ac Sanctem Franchi. in 4.

De initio Imperii Severi Alexandri Auguſti Diſſertatio. Florentiae 1715. typis Reg. Celſit. in 4.

Giovanni Gerſen Abate dell' Ordine di S. Benedetto ſoſtenuto autore de' libri dell' imitazione di G. C. contro il ſentimento dell' Autore della Diſſertazione premeſſa alla nuova Italiana Traduzione de' medeſimi libri pubblicata in Lucca l' anno 1723. Diſſertazione. In Firenze 1724. nella Stamperia di S. A. R. in 8.

D. Virginii Valſechii Caſinenſis in Acad. Piſana Sac. Liter. & Hiſtor. Eccl. Profeſſoris Epiſtola de veteribus Piſanae civitatis Conſtitutis ... ad D. Guidonem Grandi &c. Florentiae 1727. typis Regiae Celſitudinis, in 4.

Compendio della vita della Beata Caterina de' Ricci &c. eſtratto da' proceſſi fatti per la ſua Beatificazione. In Firenze 1733. nella stamperia di Bernardo Paperini. in 4.

Delle Indulgenze, e delle diſpoſizioni per conſeguirle alla nobile e pia città di Livorno. In Firenze. 1734. nella Stamperìa di Bernardo Paperini in 8.

Diſſertazione del Tempo di Zaccaria Profeta o di Eſter, e della Profezia del cap. VIII. verſ. 23. del medeſimo Zaccheria Part. I. e II. *Secunda pars hujuſce diſſertationis, quam rogatu Paulli Medici conſcribendam ſuſcepit Valſechius, minime ad umbelicum perducta fuit.*

PHILIPPUS A TURRE
EPISCOPUS ADRIENSIS.

PHilippus a Turre ea morum probitate fuit, eaque litterarum gloria, ut merito de fortuna queri potuerit, niſi ad ceteras animi dotes inſignem moderationem addidiſſet. Non caruit ille quidem bonis, quae fortunae dicuntur; abundavit etiam, ſi fortunae dumtaxat ratio ducatur; ſed ſingularis illius atque inaudita virtus majus aliquid poſtulare viſa eſt, unde hominem poſteri mererentur. Natus eſt in civitate Auſtria, vulgo *Cividale* Kal. Mai. anno MDCLVII. parentibus apprime nobilibus Mario a Turre, & Camilla de Frumentinis. Quod in prima aetate rariſſimum eſt, libros ſemper maluit quam crepundia: cumque rethoricum & philoſophicum curſum in patria celerrime abſolviſſet, Patavium migravit. Hic rurſus humanitatem, & politiores litteras tractare coepit, ad quas potiſſimum factus videbatur, tum ſe juris prudentiae dedit: nec interim mathematicum, aut anatomicum ſtudium;

qua erat ingenii abundantia, praetermiſit. Annos natus fere viginti publicum utriuſque juris examen ſubiit, probatuſque ſuffragiis omnibus in patriam revertit; ubi paucis poſt annis Patruo civitatis Canonico ſuffectus, antiquae eruditionis ſtudium ſuſcepit; ſeu potius revocavit. Hunc enim amorem jam tum imbiberat, cum Patavii eſſet; & Octavium Ferrarium, eruditiſſimum ſuperioris ſaeculi virum frequentiſſime audiret. Tametſi Ferrarius elegantiorem antiquitatem ſequebatur, Philippus vero ad eam ſe contulit, quae rudioribus monumentis, & idcirco magis reconditis continetur, cujuſmodi ſane in ejus Capituli archivio plurima ſunt. Per haec & ornandae patriae, & obſcuriſſimae aetatis illuſtrandae incredibili ardore ſuccenſus eſt: ſed cum intelligeret hoc ſtudii genus magnam librorum copiam, & eruditorum commercium poſtulare, Romam demigravit anno MDCLXXXVII. ibique ita ſe totum antiquae hiſtoriae tradidit, praeſertim vero Eccleſiaſticae, ut non multo poſt inter Academicos Collegii *de Propaganda* relatus fuerit. Tum vero primum in magna illa non dicam mul-

torum

torum hominum, ſed omnium fere nationum luce fulgere coepit, & quantus futurus eſſet oſtendere. Ingenium multi admirabantur, ſed acerrimus hominum aeſtimator Carolus Auguſtinus Fabronius, nunc S. R. E. Cardinalis, in primis ornavit, ejuſque commendatione factum eſt, ut cum Eminentiſſimus Joſephus Renatus Imperialius Ferrariam Legatus miſſus eſſet, Philippum ſibi adjungeret, & juri dicundo praeficeret, quod officium *Auditoris* appellant. Sexennium in ea Legatione commoratus, ita ſe omnibus ſingulari prudentia, fide, integritate commendavit, ut cum Cardinalis Provincia decederet, eum ſibi retinendum putaverit, ut Romae quoque in multarum *Congregationum* negotiis ejus opera uteretur. Quo in munere ſane graviſſimo, quidquid ſupererat otii, id totum in antiquitatis ſtudium conferebat; eaque induſtria celeberrimo Cardinali Noriſio plurimum probatus, ad intima ejus litterarum conſilia admiſſus eſt, multiſque benevolentiae teſtimoniis ſupra ceteros ornatus. Accidit per ea tempora, ut Antii rudera ad portus conſtructionem effoderentur; ex

quo intellectum eſt litteras quoque fortunæ indigere; nihilque admodum valere ſive ad opes, ſive etiam ad famam, niſi illam ſibi ſociam adſciſcant. Cum enim magnis illis effoſſionibus monumenta quaedam antiquiſſimae formae detecta eſſent, hinc ſibi Philippus occaſionem arripuit ingenii prodendi ſui eo commentario, qui eſt *de Monumentis Antii*, in quem tam multa, tam varia, tam recondita ex omni eruditione conjecit, ut minima pars titulo ſignificetur. Egregiam lucubrationem Innocentius XII. Pont. Max. valde probavit, nec laudibus ſolum, quarum multi ſolent eſſe liberaliſſimi, ſed etiam beneficiis ornavit, plura daturus niſi fato interceptus fuiſſet. Verumtamen quod ille praeſtare non potuit, abunde praeſtitit Clemens XI. qui pro ſua quadam non religionis modo, ſed etiam litterarum cura Philippum complexus, Adrienſem Epiſcopum renunciavit VIII. Id. Febr. MDCCII. Qui hominis virtutes & ingenium noverant, non eum libenter diſcedere Roma patiebantur, ut in Italiae angulo, nec prorſus illuſtri, neque ſaluberrimo deliteſceret: ſed ille tamen nihil tale

recuſandum ratus, in quo divina quaedam vis apparebat & providentia, Rhodigium ſtatim profectus eſt, totumque ſe ejus Ecclesiae rationibus addixit. Magna in eo fuit & intelligendi & agendi celeritas. Itaque cum omnia ſuae provinciae negotia ipſe per ſe diligentiſſime expediret, optimique Praeſulis partes impleret, ſua tamen tempora muſis quoque tribuebat. Cujus induſtriae quaerenti ſocium non defuit Comes Camillus de Silveſtris, notum in republica litteraria nomen, aetate pene pari, morum vero elegantia & antiquitatis ſtudio nihil diſſimili. Hunc ſibi Philippus tanquam divinitus datum in urbe multis quidem rebus ornata, ſed litteris colendis non admodum opportuna, cupidiſſime adjunxit, eoque uno familiariſſime, quamdiu vixit, uſus eſt. Curavit etiam ſibi a Dominicana familia virum in primis clarum Thomam Minorellum, ex cujus politiſſimo ingenio, quo tempore Rhodigii fuit, & ipſe magnum coepit conſuetudinis fructum, & Rhodigina juventus inſtitutionis. Sed & abſentium amicitias ſtudioſiſſime coluit, quicumque aliquo inſigni litteraturae genere prae-

ſtarent; & Patavium identidem excurrebat, iis praeſertim diebus, quibus Seminarii cenſus ab Eminentiſſimo Georgio Cardinali Cornelio haberi ſolet, cum ut ſe omnium fere diſciplinarum, linguarumque diſputationibus continenter habitis recrearet, tum vero maxime ut Antiſtiti optimo, & ad litteras promovendas incitatiſſimo gratificaretur. Cetera laetus, & quod in humanis rariſſimum eſt, ſua contentus ſorte, id unum in primis annis dolebat, quod librorum copia careret; nec ſatis haberet fortunarum, quibus & Epiſcopalem dignitatem ſuſtinere poſſet, & honeſtiſſimum hoc deſiderium explere. Poſt aliquanto reſpiravit; inſtructaque decenter domo, de libris comparandis cogitare coepit, quod ipſum ita praeſtitit, ut vel ex hoc uno de ſumma ejus ſapientia conjici poſſit. Per haec adjumenta non paucas pro re nata diſſertationes compoſuit; *de Taurobolio; de vermibus corporis humani; de Solis eclipſi; de Anniae Fauſtinae nummo; de annis Imperii Elagabali* ab iis editas, ad quos per epiſtolam miſſae ſunt, praeter ultimam, quam edidit ipſe typis Seminarii Patavini anno

MDCCXIII. Scripſit praeterea ad amicos multa non ſoluta modo, ſed etiam ligata oratione; quae ſingula quidem minuta ſunt, ſed in unum tamen collecta corpus juſtum volumen efficerent. Nolim equidem, quaecumque in ſcriptis reliquit ſive ſerio, ſive joco fuſa ſtatim vulgari; quam ego librariorum curam magnorum virorum exiſtimationi ſaepe fatalem animadverti. Sed quaedam tamen de militaribus itineribus, & de tota illa controverſia, quae ipſi cum praeſtantiſſimo adverſario Joanne Vigniolio de *Imperio Severi Alexandri* fuit, omnino jacere non debent, quod jam ad umbilicos pervenerint, & famam ejus ſuſtinere poſſint. Multa etiam mihi de Patriarchis Aquilejenſibus legit, multa oſtendit ex abditiſſima antiquitate depromta: ſed pleraque informia ſunt, nec lucem ſperare poſſunt, niſi forte a clariſſimo viro Juſto Fontanino, qui & ea eruditione eſt, ut nihil hujuſmodi formidare debeat, & iis moribus, ut nihil omittere poſſit, quod ad Praeſulis amiciſſimi gloriam conducere videatur. Reliquum eſt, ut de ejus morte dicamus, quod paucis abſolvetur: nam ne diſſe-

cto quidem exploratoque cadavere, medici ipſi ceteroquin peritiſſimi ſtatuere potuerunt, quo genere morbi conſumtus ſit; quique hydropem accuſant, ita rem involvunt, ut nec ſatis appareat quomodo gigni potuerit, nec quomodo cognoſci, nec quomodo ſanari. Quod certum eſt, duos ferme antequam moreretur menſes, perpetua ſiti laboravit, eodemque tempore δυσȣρία, morbo ille quidem non novo, ſed pene jam familiari. Sitis in febriculam deſiit, quae & ab ipſo contemta eſt, nec a medicis valde oppugnata, quod ex δυσȣρία proficiſci crederetur, nihilque ejuſmodi portenderet, quale poſtea conſecutum eſt. Quid plura? Sic erat in fatis: repente in extremis fuit. Itaque cum ſe ad ſupremum illud certamen rebus divinis comparaſſet, incredibili virtute & conſtantia deceſſit V. Kal. Mart. MDCCXVII. Rhodigii ſepultus eſt ingenti totius civitatis luctu, quae calamitatem hanc acerbiſſime tulit, & pro ſumma temporum difficultate etiam in omen vertit. Talis fuit Epiſcopus, ut non ſolum cum probatiſſimis hujus aetatis, ſed cum veteribus etiam comparari potuerit. Severus & gravis, ſed idem, cum

tempus poſceret, blandus & affabilis ſupra quam ejus vultus plane cenſorius polliceri videretur: ſermo compoſitus, & in re qualibet ita eruditus, ut ſemper meditatum crederes. Id fuit in illo ſingulare, quod cum plurimum temporis litterarum ſtudiis concederet, non tamen ſe rebus agendis ſubducebat; quo factum eſt, ut doctiſſimus idem eſſet, idemque prudentiſſimus. Hoc ipſi apud ſuos magnam auctoritatem conciliavit, liberalitas vero gratiam & benevolentiam. Amicitiis uſus eſt omnium ferme ſui temporis litteratorum, multorum etiam hoſpitiis; nam id imprimis curabat, ut hoſpites frequenter haberet; cumque ipſe tenuiſſimo victu uteretur, alios ſplendidiſſime excipiebat. Sed haec narratori ſatis: plura dabunt laudatores.

OPERA EDITA.

Monumenta veteris Antii hoc eſt inſcriptio M. Aquilii, & ſabula ſolis mithrae variis figuris & ſymbolis exculpta; quae nuper inibi reperta, nunc prodeunt commentario illuſtrata, & accurate explicata. Accedunt Diſſertationes de Beleno & aliis Aquilejenſibus Diis, & de colonia Forojulienſi auctore Philippo a Turre ex eadem civitate Forojulio. Addita ſunt fragmenta inſcriptionum fratrum Arvalium recens in agro Romano effoſſa. Romae novis typis Cajetani Zenobii & Georgii Plachi 1700. in 4.

Epiſtola fratribus, & filiis, clero, & populo Adrienſi, eum ad Epiſcopatum Adrienſem electus fuiſſet poſt. non. Feb. an. 1702. Romae novis typis & induſtria Cajetani Zenobii ad magnam curiam Innocentianam.

---- ad Bernardum Montfauconium de quadam tela, quae non comburitur. *Extat in Diario Italico ejuſdem Montfauconii pag. 450.*

---- ad Gaſperum Charmies e Societate Jeſu de inſcriptione daurobolica reperta in viciniis Lugduni anno 1705. *Extat in tom.* XVII. *p. 367. Bibliothecae Joannis Clerici.*

Lettera al Sig. Dottore Giovanni Antonio Aſtori intorno a un medaglione Greco d' Annia Fauſtina terza moglie dell' Imperadore Elagabalo, nel quale pare che la Tribunizia poteſtà V. d' Elagabalo ivi ſegnata combatta cogli anni dell' Imperio di eſſo. *Extat in Tom.* IV. del Giornale d' Italia p. 360. *Haec epiſtola cauſſa fuit magnarum controverſiarum. Hae vero cauſſae fuerunt alterius operis a Philippo conſcripti, cui titulus.*

--- De annis M. Aurelii Antonii Elagabali, & de initio imperii, ac duobus conſulatibus Juſtini Junioris Diſſertatio apologetica ad nummum Anniae Fauſtinae tertiae ejuſdem Elagabali uxoris. Patavii apud Joannem Manfrè 1713. in 4.

--- Lettera al Sig. Antonio Valliſnieri intorno alla generazione de' vermi. *Extat in libro Valliſnerii, qui inſcribitur*: Nuove oſſervazioni ed eſperienze intorno all' ovaja ſcoperta ne' vermi tondi dell' uomo ec. Padova appreſſo il Manfrè 1713. in 4.

--- Al Sig. Marcheſe Poleni intorno all' Eccliſſi ſolare dell' an. 1715. In Padova 1716.

--- Al Sig. Iacopo Facciolati ſopra una pubblica inſcrizione di confini, che ſta regiſtrata a lettere antiche nel palazzo pubblico d' Aſolo; e ſopra un frammento d' altra iſcrizione pur d' Aſolo. *Extat in volum. I.* de' Supplementi al Giornale de' letterati d' Italia p. 31. *In volumine* XXXIII. *earumdem Ephemeridum Italicarum extat vita Philippi ſatis copioſe ſcripta a Hieronymo Lionio qui in intimis illius fuiſſe videtur*.

OPERA INEDITA.

Diſcorſi e calcoli fatti per la Congregazione della Riforma del Calendario.

Iſtoria de' Patriarchi d' Aquileja.

Relazione della città di Cividale. *Hoc opere, quo magnam continet copiam veterum monumentorum, quae nunquam antea lucem aſpexerant, non tam hiſtoriam illuſtrare voluit Philippus patriae ſuae, quam totius Fori Julii*.

Raccolta di carte e di notizie aſſai rare pel Veſcovado d' Adria.

Difeſa della diſſertazione Apologetica de annis M. Aurelii Antonini Elagabali ec.

Claudi elogium poteſt inſcriptione, quae monumento, in quo conditum eſt cadaver Philippi noſtri, inciſa eſt, cujuſque auctor fuit Juſtus Fontaninius, quo neminem cariorem in vita habuiſſe Philippus videtur.

PHILIPPO A TURRE

EPISCOPO ADRIENSI

IN URBE RERUM DOMINA

INTERIORIBUS DISCIPLINIS

MORUMQUE SANCTIMONIA PROBATO

QUI

REM LITERARIAM EGREGIIS MONUMENTIS

AUXIT

POPULOSQUE SIBI RELUCTANTI COMMISSOS

VERBO ET EXEMPLO

TAM BENE SERVAVIT

UT FINITIMIS ET LONGINQUIS

MAXIMUM SUI DESIDERIUM RELIQUERIT

SOLA IMMORTALITATIS EJUS SPE LENITUM

OBIIT V. KAL. MARTIAS ANNO SAL.

MDCCXVII.

VIXIT ANNOS LIX. MENSES IX. DIES XXV.

NICOLAUS AC PETRUS A TURRE PATRICII

CIVITATIS FOROJULI

OB TANTI FRATRIS JACTURAM MOESTISSIMI

P. P.

F I N I S.

INDEX VITARUM

Quae in hoc VI. volumine continentur.

Henricus Card. Noriſius	pag. 8.
Philippus Bonarrotius	128.
Raphael Fabrettus	174.
Joannes Juſtinus Ciampinius	234.
Franciſcus Blanchinius	284.
Virginius Valſechius	359.
Philippus a Turre.	366.

INDEX RERUM PRAECIPUARUM

QUAE IN HOC VI. VOLUMINE CONTINENTUR.

A

ACademiae Florentina & Romana comparatae 247. -- Alecophilorum 288.
Africanarum Eccleſiarum notitiae 38. & ſeq. 191.
Albizius Card. 28.
Alexander VIII. 189. 289.
Amoris & Pſyches fabula 145.
Anaſtaſius Bibliothecarius illuſtratus 254. 325. e ſeq.
Antiquitatis ſtudia quomodo coli debeant 1. quam utilia 125.
Aqua Alexandrina 193. Alſietina 181.
Aquilejae Patriarchatus ortus 21.
Aſcia quid ſit 206.
Auguſtinus S. explicatus & defenſus 13. 17. 18. ejus itinere 46.
Auguſti domus 330.
Azolinius Card. 28.
Azymi uſus 251.

B

BAcchinius Benedictus 273. 361.
Bacchi monumentum explicatum 135.
Baculus paſtoralis 264.
Ballerinii Fratres 24. 37. 92. 200.
Balutius Stephanus 15.
Baptizandi ritus 268.
Barberinius Card. 24.
Baronius 14. 23 24. 26. 31. notatus 51.
Baſilicae veterum 257.
Bellorius Petrus 200. 330.
Benedictus XIV. Noriſii defenſor 90. 119.
Bernullius Jacobus 319.
Blanchinius Franciſcus 8. ejus ortus 284. ſtudia 285. Romam venit 287. Aſtronomiam excolit ib. 308. 309. Alexandro VII. quam acceptus 284. Ejus litterariae exercitationes 290. hiſtoriam univerſam illuſtrat. 291. & ſeq. Calendarii rebus praficitur 296. de cyclis agit 303. lineam meridianam condit 306. & ſeq. de ſtellarum aberrationibus obſervationes 311. meridianum Italicum delineat 312. Ejus de venere obſervationes 314. & ſeq. quantum in mechanica valeret. 317. Chronologiam illuſtrat 318. e ſeq. Pariſios mittitur 321. In Academiam Scientiarum cooptatur 322. Anaſtaſium illuſtrat 325. & ſeq. de Columbario Liviae opus 328. de domo Palatina 330. de ignibus Petramalae obſervationes 332.

vas explicat 333. de globo Farneſiano ſcribit 334. morbus 335. modeſtia 336. religio 337. & ſeq. induſtria 340. & ſeq. pietas in patriam 342. opera edita 344.
Bona Card. 28. 30. 98. 251.
Bonarrotius Michaelangelus 125. 129. 134. 161.
— Philippus 57. 126. ejus ortus 128. ejus ſtudia Romae 130. de numiſmatibus Muſaei Carpinei ſcribit 131. revocatur in patriam 1[illegible] uxorem ducit 137. ejus munera 138. de vitreis Chriſtianis opus ſcribit 139. 271. a Salvino adjutus 143. quam peritus in ſtudiis antiquitatis 145. 161. dyptica chriſtiana explicat 147. Etruſcas antiquitates 149. 232. a ſcribendis ſatyris alienus 162. ejus diſcipuli ib. amici 163 virtutes 165. mors 166. honores 167. opera edita 168.
Boſchovichius 312.
Boſius 189. 209.

C

Calendarium, quae pro ejus emendatione geſta 97. & ſeq.
Carpineus Card. 136. 180. 188. 194. 221.
Caſanata Card. Hieronymus 14. 28. 82. 112.
Caſſinius Jo. Dominicus 80. 81. 245. 305. 313. 314. 315. 323.
Caveus 37.
Cemeteria ſacra Romana 109. 209.
Cenotaphia Piſana 45. 12[illegible]
Chriſti mortis an. 106. 318.
Chriſtiana monumenta 139. 209. 256. & ſeq. 320.
Chriſtina Svecorum Regina 44. 60. 242. 244. 269. 287.
Ciacconius Alphonſus 2[illegible].
Ciampinius Jo. Juſtinus 57. ejus ortus 234. ſtudia & munera 236. 238. ſcripta 239. ephemerides edit 240. Academiam Eccleſiaſticam inſtituit 241. phyſicomathematicam 242. ejus ſcripta phyſica 244. & ſeq. ſacra 250. & ſeq. Anaſtaſium illuſtrat 254. Launojum confutat 255. diſſertationes de officiis Romanae Curiae 263. S. [illegible] Io[illegible]um illuſtrat 265. de regalia ſcribit 272. mores 270. mors 273. opera 276. & ſeq.
Clemens IX. 207. 241.
— XI. 80. 83. 221. 296. 298. 307. 320. 337. 370.
— XII. 305. 364.
Cocchius Antonius 121.
Columna Trajana 200. Antonina 303. 317.
Columbaria 205. 327.
Conſtantini hiſtoria a Noriſio illuſtrata 22.
Corerius 285.
Coſmus III. 43. 59. 136. 360.
Crudelis Thomas 167.
Crux ſtationalis 166.
Cyclus Paſchalis 57. 107. 267. 297. & ſeq. 300. 303.

DEcennalia vota quomodo celebrarentur 43. 102.
Dempſterus Thomas 148.
Diezius 66. 109.
Donatiſtarum hiſtoria 23.
Dodwellus Henricus 95.
Dupinius 24. 37.
Dyptica ſacra 147.

E

ELagabalus quanto tempore regnaverit. 360. 372.
Eſchinardius Franciſcus 248.
Etruſcae antiquitates explicatae 149. & ſeq. Etruſcorum mores & ritus 151. & ſeq. eorum origo 160.

F

FAbronius Card. 309.
Fabrettus ejus odium in Gronovium 97. 196. 358. a Bonarrotio adjutus 162. ejus ortus 174. ſtudia 175. in Hiſpaniam mittitur 177 munera 178 & ſeq. mandata 181. litterariae occupationes 183. & ſeq. ſcripta ad antiquitatem pertinentia 189. de veteri Latio ſcribit 193. de aquaeductibus 195 de Trajani columna 200. veteres inſcriptiones colligit 203. & ſeq. 214. morbus & mors 217. & ſeq. mores & virtutes 223. & ſeq. opera 229.
Fabricius Io. Albertus 27.
Facciolatus Iacobus 354.
Farneſianum muſeum 333.
Farneſianus globus 334.
Faſti Conſulares 50. 51. 102. 104.
Fermentum quid ſit 252.
Ferrarius Octavius 368.
Figlinae earum notae 208.
Firmianus Lactantius 15.
Florentinum Gazophilacium. 232.
Fontaninius Iuſtus 77. 164. 216. 373.
Foſſejus Fulgentius 46.
Fucini lacus, emiſſarium 201.

G

GAlli eorum judicia 33. 169. 175.
Garnerius Jo. 15. 16. laudatus 33. reprehenſus 34. 35. ejus artes 36. ſcripta in Noriſium 101.
Gonzalezius Thirſus 65.
Gorius 151. 162. 166.
Gravina Jo. Vincentius 188.
Gregorius VII. 77.
-- XIII. 299.
Gronovius Jacobus 21. 97. cum Fabretto diſputat 196. 358.
Guidiccioliius Jo. 27.

H

HAlloixius accuſatus & defenſus 16. 38.
Harduinus 41. 48. a Noriſio reprehenſus 54. 103. 107.
Herodis Antipae nummus illuſtratus 52. ejus mors 105.

Hilarius Arelatenſis 25.
Hippolyti S. Canon 210.
Homeri Ilias 202. 294. ejus defenſio 295.

I

JAcquierius Franciſcus. 280. 311. 334.
Janingus Conradus 50.
Jeſuitae horum odia in Noriſium 18. 29. 32. 55. maledicta 32. 65. 71. 72. 90. 99. 109. & ſeq. Calendarii emendationi ſe ſe opponunt 81. 305.
Innocentius XI. 60. diſſidia cum Gallis componit 63. ejus laudes 82. 182. 270. 272. 295. 370.
Inſcriptionum ſtudium quam utile 171. earum collectio 203.
Inveſtiturarum hiſtoria 76. & ſeq.
Juſtinianus Imperator Origenem damnat 37.

K

KAlephatus Alexander. 351.
Kirkerius Athanaſius 199.

L

LAmius 162.
Lanzius Aloyſius laudatus 230.
Latium vetus 193.
Latina lingua excolenda 170.
Latius 15.
Launojus confutatus 155.
Lauria Card. 66. 112.
Lauri Octavius 299.
Leibnitius 79. 210.
Leopoldus Card Mediceus 20. 41. 43. 53. 103. 247.
Lex Regia 188.
Licinii imperii chronologia 42. & ſeq.
Linea meridiana Romae 307. 310. alia per Romanam ditionem 312.
Lodruus 62. 112.
Lucius Jo. 256.
Lupus Chriſtianus 9. 10. 13. 314. 96.

M

MAcedus Franciſcus ejus ſcripta in Noriſium 19. 25. 26. caſtigatur ib. 30. 31. 46. 98.
Maffejus 151. 162. 172. 187. 217. 334.
Magliabechius Antonius 20. 21. 27. 34. 35. 47. ejus mores 59. 94
Magnanus Dominicus 106.
Magi. eorum imagines 143.
Maimburgus Aloyſius 76.
Majerius 312.
Manfredius Euſtachius 305. 307. 309. 316.
Maraldius Philippus 81. 306. 308. 323.
Marinius Cajetanus 122. 198.
Marottus Joſephus 169.
Maurini Monachi laudati 6.
Mediobarbus 106.
Mercatoris Marii opera 15.

Minorellus Thomas 371.
Monachi Scithiae haereſeos ſuſpicione liberati 70.
Montanarius Geminianus 285. 286.
Muratorius Ludovicus 215.
Muſiva opera 256. & ſeq.

N.

NAzarius Franciſcus 239.
Neocori quid ſint 133.
Nimbus quid ſit 142.
Noriſius Henricus ejus ortus & educatio 8. ſtudia apud Auguſtinianos 9. munera 11. 12. opus de hiſtoria Pelagiana 13. ejus cauſa odia & diſſidia ib. 27. 66. 68. 115. vindicias Auguſtinianas vulgat & defendit 18. a Jeſuitis exagitatus 18. 29. 32. 61. 65. 71. 79. 89. 99. 109. & ſeq. Piſis Profeſſor declaratur 20. in hoc munere quomodo ſe geſſerit 22. hiſtoriam Donatiſtarum ſcribit 23. Macedum oppugnat 25. 26. 46. ejus praeleſtiones Academicae 25. Ianſeniſmi accuſatur 29. ejus ſcripta apologetica 25. 26. 28. 29. quaeſtiones cum Garnerio 34. & ſeq. de Africanis Eccleſiis ſcribit 38. Panvinii aemulator 7. 40. conſulares faſtos emendat 41. 51. Romam invitatur 44 ejus opus de cenotaphiis Piſanis 45. de epochis Syromacedonum 47. 48. & ſeq. hujus operis additamenta 50. ejus induſtria 53. amicitiae 54. Harduinium reprehendit 54. & ſeq. quam peritus in antiquitate 57. paſchalem cyclum explicat ib. Romam accerſitur 61. munera & honores 62. mandata 63. conſilia & ſcripta in controverſiis de regalia 64. 76. Innocentio XII. quam acceptus 65. ab eo Cardin. creatur 73. 117. ejus modeſtia ib. 118. munera & mores 74. 88. Bollandiſtas defendit 75. Inveſtiturarum hiſtoriam ſcribit 76. cura ejus & ſcripta de Calendarii emendatione 77. 296 & ſeq. Vaticanae Bibliothecae praeficitur 82. induſtria & vitae genus illius 84. mors 85. funera & honores 87. ejus opera 92. & ſeq.
de Nuce Angelus 242.

O.

ORationis gratia & effectus 71.
Origenes ejus errores 16. damnatio 37.
Oricellarius Julius 138. 165.

P.

PAciaudius Paullus 1.
Pagius 51. 52. 95. 102. 104.
Pagnus Io. Baptiſta 121.
Panvinius ejus faſti Conſulares 104. 105.

Papebrochius accuſatus & defenſus 74.
Paſtorum veſtes 141.
Pelagiana hiſtoria 13. haereſis damnata 34. 115.
Petavius 33.
Petrellus Fulgentius 9.
Piſarum monumenta 46.
Principes ſtudiorum moderatores 4. 7.
Procopius emendatus 17.

Q

Quartaronius Dominicus 3[illegible].
Queſne[illegible] 100.

R

Ravagus 96.
Religioſi homines ut ad ſtudia apti 2. in his quomodo ſe gerant 3. 12.
Regalia controverſiae de ea 61. 78, 271. & ſeq. 272.
Riccius Annibal 29. 30.
Rivius 14. 24.
Ruga quid ſit 253.
Ruinartius Theodoricus 38.

S

Salmaſius 41.
Salviuus Io. Antonius 143.
Scheleſtratius Emanuel 62. 255. 326.
Scholaſtici exagitati 11.
Scribendi mos apud veteres 146. 208.
Segnerus 82. 63.
Sepulturae veterum 205. 259. 327.
Silveſtrius Camillus 371.
Sirmondus 33. 250.
Spanhemius Ezechiel 48.
Sperellius Sperellus 136.
Stoppanus Card. 217.
Synodus V. oecumenica 16. 37. Carthaginienſis & Melevitana 34. Conſtantinopolitana a Garnerio conficta 37.
Syromacedonum epochae 48.
Syriae urbium hiſtoria 49.

T

Theodorus Mopſueſtius 16.
Theologiae ſtudioſi quid praeſtare debeant 10. 13.
Thomas Aquinas receptus & rejectus 6.
Thomaſius Ioſeph 253. 2[illegible].
Tillemontius 24. 102.
Toinardus 51. 52.
Toſchius Hieronymus 243.
Trojae excidii cauſſa 293.
a Turre Philippus 354. ejus ortus 361. ſtudia 368. munera 369. & ſeq. opera 370. & ſeq. 376. mors 374. virtutes 375.
Tuſculi ſitus 198.

V

Vaillantius 50. 55. 183.
Valſechius Virginius 162. 258. ejus ortus 359. Chronologiam illuſtrat 360. oppugnatur 361. ſcripta ejus de antiquitate 360. 362. de indulgentiis 365.

mores & mors 365. opera edita ib. & ſeq.
Venus de ea obſervationes & ſcripta 314.
Veſtium diverſa genera 141. & ſeq.
Victorius 240.
Vincentius Lirinenſis accuſatus & defenſus 25. 27. 70.
Voſſius 15.

Z

Zaccaria Franciſcus Antonius 173. 214.
Zaccagnus Laurentius Alexaner laudatus 135. emendatus 143. 300.

ERRATA CORRIGE

ERRATA			CORRIGE
Pag. 1.	lin 8.	non potuiſſet tractari.	non potuiſſe tractari videatur.
29.	3.	Indignantes	Querentes
60.	14.	audiviſſetque	*adde* privatus
88.	12.	pollicieri	polliceri
107.	11.	pyrgopolicinem	pyrgopolinicem
123.	15.	infinitas parvitates	infinite parvas quantitates
260.	13.	exageraſſet	exaggeraſſet
278.	5.	qui	*adde* contendebant
234.	2.	Juſti	Juſtini
323.	23.	Holandiam	Hollandiam
331.	18.	ut aliis	ut de aliis

00025648

Digitized with financial assistance from the
Government of Maharashtra
on 15 June, 2016